PROLEGOMENA

AD

HARMONIAM EVANGELICAM,

SIVE

DE PRIMARIIS NONNULLIS

AD

CHRONOLOGIAM EVANGELICAM SPECTANTIBUS

DISSERTATIONES QUATUOR.

ACCEDUNT

KALENDARII ANNI SACRI, AB ANNO A.CH.N. 1511 USQUE AD A.D. 94,
IN ANNIS EXPANSIS, TABULÆ LXXXV.

NEOMENIARUM ANNI SACRI TABULÆ SYNOPTICÆ VI.

CHARACTERUM MENSIUM ANNI SACRI TABULA GENERALIS I.

AUCTORE

EDVARDO GRESWELL, S. T. B.

COLLEGII CORPORIS CHRISTI APUD OXONIENSES SOCIO.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

MDCCCXL.

LECTORI S.

PROLEGOMENA hæc Capitibus quatuor constant. Capite primo, de Kalendario anni sacri nostro agimus. Capite secundo, de successione ephemeriarum apud Judæos, et de anno natali Dominico exinde constituendo, inquirimus. Capite tertio, de die natali, de die baptismi, et de die emortuali Domini, singulis ex epochis quibusdam veterrimis eruendis, tractamus: quarum occasione, et kalendarii lunaris Ægyptii explanationem, satis locupletibus, uti confidimus, testibus, LAPIDE scilicet ROSETTÆ, MARMORE TRIPOLITANO, et PHILONE JUDÆO, instructi auspicamur. Capite quarto, chronologiæ nostræ Evangelicæ universæ recensionem instituimus, summatim quidem et strictim, quemadmodum recensentes decet, ita tamen plene, ut vel apud recensionem hanc, vel apud Dissertationes nostras, nihil omnino repertum iri, quod non in cognitionem venerit, satis speremus.

Prolegomena igitur nostra προκατασκευῆς cujusdam, seu præparationis, nomine ad tertiam HAR-

MONIÆ nostræ editionem adornata et proposita esse, intelligatur oportet: non tamen eo consilio, ut longioribus Dissertationibus, jam antea publici juris factis, supersedeant, neque ut unum instar omnium sint. Nam fere innumeræ sunt quæstiones, quibus ad Harmoniam Evangelicam tum disceptandis tum determinandis opus est; quæ apud Dissertationes istas et pro virili nostro disceptatæ, et pro judicio nostro determinatæ sunt: apud Prolegomena hæcce eædem omnino desiderantur. Verum enimvero, cum et multitudo ipsa et varietas ejusmodi disceptationum a disceptandi studio nonnullos deterrere soleat; et nimius veritatis investigandæ labor apud eosdem etiam veritatis amori ac desiderio officere possit; operæ pretium duximus, cetera quidem omnia in præsenti missa facere, in unum et alterum tantum, quæ maxime necessaria, et per se ipsa, si semel constarent, proposito nostro satisfactura essent, elaborandum incumbere: ut si quibus minus otii, vel minus animi, ad ampliorem illum et laxiorem campum nobiscum ingrediendum suppeteret, eodem tamen, ubi per anfractus atque ambitus istos contendendum erat, compendiaria quadam via deducerentur. Summam igitur et effectum laboris nostri in capite secundo et tertio habes; usum autem et fructum in quarto: quorum in illis de anno natali, et de die natali, Dominico agitur,

in hoc, chronologiæ omnis Evangelicæ nostræ recensio instituitur.

Sequuntur ad calcem libri Tabulæ quædam. Primum, Kalendarii anni sacri, pro annis expansis, ab anno a. ch. n. 1511 ad a. d. 94 usque, Tabulæ lxxxv. Deinde, Neomeniarum anni sacri Tabulæ Synopticæ vi. Tertio, Characterum mensium anni sacri Tabula Generalis i. De quibus omnibus in capite nostro primo, ubi de Kalendario anni sacri tractamus, rationem reddimus.

Ceterum de adjectis tertiæ Harmoniæ nostræ Editioni Actibus Apostolorum, apud Præfationem ad eandem monitum esse reperietur. Prolegomena hæc ad editionem illam totam in primis necessaria esse, nihil est cur probare laboremus; siquidem rationes chronologicæ epocharum illarum, quæ ibidem ad margines sectionum perpetuo notatæ sunt, ex his vel solis, vel maximam partem, petantur necesse est.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

APPENDIX.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

De Kalendario anni sacri.

De Kalendario anni sacri pro rationibus nostris tractaturos necessitas loci monet ut brevitati studeamus. Varias igitur opiniones de anni Judaïci et veteris forma, quæ recenseri possent, omnes in præsenti missas facere sine invidia liceat. Rabbinorum doctrina de anno suo antiquo neque secum ipsa consentire, neque cum rationibus verisimilitudinis, neque cum Scripturæ ipsius et Josephi testimonio conciliari posse nobis semper visa est; commentitiam contra et vanitatis manifestæ ream, et tanquam puram putam fabulam, sicut pleraque alia quæ ab iisdem auctoribus profecta, etiam cum maxime ad res suas et gentiles pertinent, prorsus rejectaneam pæne dixerimus. Hodiernum Judæorum kalendarium subtiliter admodum atque artificiose contextum; et forsan e vestigiis prisci alicujus erutum: ante tamen A. D. 358, perscriptis Tabulis et de auctoritate Synedrii propositis, in præsentem sui formam, qua hodieque utuntur, perpolitum fuisse non constat. Recentiorum sententiæ de hac quæstione inter se conflictantur; omnes tamen conjecturis insistunt: scriptum enim testimonium, ad quod tanquam ultimum tribunal in hujusmodi lite ac disceptatione provocatio fiat, nusquam exstare in confesso est.

Nobis quidem ex diligentissima veteris Scripturæ lectione satis constat, annum Judaïcum seu sacrum etiam tempore Samuelis prophetæ, Sauli regis, ac Davidis, a Cycli cujusdam legibus directum fuisse: unde de neomeniis seu mensium initiis longe antequam advenissent nulla apud vulgus dubitatio exstaret. Quod si temporibus illis, quid ni jam inde a principio? Et quisquis erat ille Cyclus, tamen unum atque eundem fuisse, et perpetuo quodam tenore ad ultima usque tempora propagatum, exinde colligi potest, quod duodecim Tribus ætate Davidis ac Salomonis, decem Tribus de regno Israelis, duas de regno Judæ, post separationem regnorum, Judæos e Captivitate temporibus regum Assyriorum, Jeremiam prophetam Hierosolymis agentem, æquales illius primum Babylone, deinde Susis Danielem, atque ad flumen Chobaram Ezechielem, Judæos reduces tempore Zorobabelis, captivos Mardochæum, Ezram, ac Neemiam Babylone vel Susis sub regibus Persarum degentes, Judæos matris regionis regum Syro-Macedonum ætate, eosdem et dispersos apud universum pæne terrarum orbem sub imperio Romano, Dominum nostrum atque apostolos ejus coruscante cummaxime Evangelio, Josephum denique quod ad historiam patriam ac gentilem, tum ante se natum, tum postea, usque ad exscidium templi atque Hierosolymæ: universos quidem longe diversis temporibus et locis, sed suo singulos ordine, de neomeniis mensium suorum, de statis feriarum diebus, de toto denique annorum suorum decursu, idem sentientes, idem tradentes, atque idem observantes videmus. Quod profecto factum non fuisset, nisi unum quoddam atque idem kalendarium, mutatis mutandis ad omnia pariter tempora accommodandum, omnibus ad manum adesset. Unde mirum in modum ad fidem Kalendario nostro præmuniendam via sub-sternitur; cujus si quid aliud ea præcipue est commen-

datio, quod anni Judaïci formam, simplicem illam ac perpetuo sibi constantem, ab initio usque ad finem repræsentet; neque alia prorsus regula tempore ipsius Josuæ, quam ætate Josephi vel Divi Pauli, ordinandam vel ordinatam. Sed jam ad ipsum transeamus. Et primum de EPOCHA ejus.

Secundum rationes chronologicas nostras, Exodus ex Ægypto A. CH. N. 1560, Aprilis 10, feria 5, facta est. Novilunium verum pro meridiano Heliopolis biduo ante commissum erat; Aprilis nimirum 8, feria 3, hora circiter sexta pomeridiana[a]. Kalendarii tamen nostri caput non ab hac epocha arcessendum duximus: constat enim nobis ex eorum testimonio quæ postea statim insecuta, annum Judæorum cum ipsa Exodo nondum lunarem factum: initium anni tantum ab æquinoctio ferme auctumnali ad æquinoctium vernale retractum.

Proximo anno, erectum est Tabernaculum Martii 29, Nisan 1, feria 1. Novilunium verum pro meridiano montis Sinæ eodem die factum est, Martii scilicet 29, hora circiter una ante meridiem. Idem igitur qui instabat dies, Martii nimirum 29, mensis vere lunaris vel primus erat, vel primus esse poterat. Sed neque ab hac epocha Kalendarii caput arcessimus. Persuasum est enim nobis, tametsi, tradita Lege et consecratis in primis kalendis sive neomeniis, annus Judæis observandus, quo tempore Tabernaculum erigebatur, cummaxime lunaris factus erat; tamen neque Legis in genere, neque hujus *in specie* consecrationis, tanquam usu capiendæ ullam ipsis necessitatem impositam, donec

[a] De hoc novilunio, et de nonnullis aliis, quorum ab anno A. CH. N. 4004 ad annum A. CH. N. 1511 usque mentio a nobis fieri potest, si cui post nos eosdem calculos iterare visum fuerit, xii ferme horarum spatio epochas eorum Julianas a nobis retractas forsan invenerit. Quod prudenter et consulto factum. Caussa etiam facti inferius paucis redditur; hic tantum loci præmonendum duximus, ne calculi nostri calumniæ innocentes paterent.

omnes apud terram sibi promissam jam constituti essent. Rebellio Kadeshbarneæ, circa auctumnum hujus ipsius anni et mensem potissimum Tisri facta, destinatum jam ante huic constitutioni terminum in quadragesimum fere annum comperendinavit: quo temporis spatio universo Legis Mosaïcæ vim atque observationem omnem suspensam et quasi sopitam fuisse, ex testimonio Amos prophetæ ac Divi Stephani, et multis præterea apud ipsum Pentateuchum indiciis colligatur licet.

Labente quadragesimo Exodi anno, A. CH. N. 1521, et circa eandem anni tempestatem, ad Kadeshbarneam rursus accessum est. A. CH. N. 1520, mortuo jam Mose, transitus Jordanes, duce Josua, die mensis primi decimo; id est, secundum calculos nostros, Martii Juliani 27, feria 6. Novilunium verum pro meridiano Hierichuntis decem antea diebus, Martii 17, inter horam octavam et nonam pomeridianam fere, commissum erat. Ergo Martii 27, transmissi Jordanis epocha, decimus lunæ ejusdem dies; et cum decimo mensis lunaris, qui exordium suum a novilunio illo sumeret, adprime congruere factus. Inde debellatio gentium Chanaan, a veris initio A. CH. N. 1520, usque sub auctumnum A. CH. N. 1514, sex annis et ferme sex mensibus continuis conficienda. Mox divisio terrarum inter victores, biennium vel triennium occupatura. Omnibus igitur hisce perpensis, nostro quidem judicio vix fieri potest ut stata et solennis atque ad ultima usque tempora sine interruptione duratura Legis Mosaïcæ observatio ab epocha ulteriore quam A. CH. N. 1511 arcessatur; quando, ut nobis videtur, et erectio illa Tabernaculi apud Silo, (de qua Josuas, xviii. 1.) a congregatione universa facta.

Ad hanc igitur epocham Kalendarii nostri caput

constituere nobis visum est. Novilunium verum eodem anno Aprilis Juliani 7, feria hebdomadæ 6, uti infra videbitur, commissum. Ita primus Kalendarii dies Nisan lunaris seu Judaïci 1, Aprilis solaris seu Juliani 8, feria hebdomadæ 7, sive dies sabbati, A. CH. N. 1511. Ab hoc sui principio, usque ad Nisan 1, Martii 6, feriam hebdomadæ 7, Lunam primam, A. D. 94, id est, per mille sexcentos et quatuor annos, perpetuo filo contextum est. Cur autem ad A. D. 94 non ad A. D. 70 exscidii Hierosolymitani epocham, quo ineunte, Nisan 1, Martii 31, feria 2, Luna prima erat, potissimum consistat; ratio est alibi a nobis reddenda.

Et epocham quidem nostram secundum Kalendarii ipsius leges non ab anno A. CH. N. 1511, sed undeviginti minimum ulterius annis repetendam fuisse, neque ipsi nescii sumus, et ne calumniæ locus pateat lectores admonendos censemus. Prudentes igitur undeviginti annos retraximus; tum propter ea quæ dicta sunt, tum quod eodem omnino rediturum erat, quod ad ipsius decursum, sive ab A. CH. N. 1511 sive ab A. CH. N. 1530, undeviginti retro annis, origo ejus petita esset. Ceterum de vera anni sacri epocha, si quod nos quidem sentiamus, id libere profiteri liceat, non a temporibus Exodi tantum, sed a mundi primordiis usque arcessendam eam esse arbitrati simus. Quo in genere etiam hodierni Judæorum kalendarii auctores, quid fieri liceat vel quid fieri debeat, nos admonere possunt; qui epocham kalendarii sui omnium primam a novilunio illo, quod MOLAD TOHU, id est genituram seu partum inanis, neomeniam scilicet χάους, vocant, et mundi natalem apud ipsos diem novem diebus insecutum esse volunt, arcessendam sibi statuerint.

Et revera, licet incredibile quiddam ad aures pri-

mum acciderit, perpetuam anni lunaris a principe luna revolutionem per Cycli cujusdam circuitionem ad nostra usque tempora deductam esse; ejusmodi tamen revolutio, ab anno illo qui, secundum rationes chronologicas Hebraïcæ veritatis fide subnixas, mundi natalis erat, atque a die illo qui, secundum cosmogoniam Mosaïcam, anni lunaris primus fuerit necesse est, usque ad præsentem diem, in annis expansis a nobismet ipsis est explicata; quæ mirum in modum et cum rationibus lunæ nunc cummaxime obtinentibus, atque usque ad finem sæculi obtenturis, convenit, et cum rationibus iisdem, quales anteacto tempore obtinebant, quantum nos quidem investigando adsequi potuimus, nullo non tempore quam exactissime conveniebat.

Hujus revolutionis Periodo ix, Cyclo i, Anno 9, A. CH. N. 1560, quo tempore luna principalis in Aprilis 8 incidebat, Exodus ex Ægypto contigit: ejusdem Periodo ix, Cyclo iv, Anno 5, una cum eadem illa luna, ad Aprilis 7 epocha Kalendarii nostri constituta. Quemadmodum igitur Judæorum Kalendarium a MOLAD TOHU, ita nostrum a principe luna, et multo quidem certiore ratione, procedit. Nam luna principalis atque omnium prima aliqua fuerit necesse est; MOLAD illud TOHU, sive *νεομηνία χάους*, nisi mundi natalis perperam ab ipsis constitutus esset, revera nullum fuisset. Epocha MOLAD illius, secundum ipsorum sententiam, Octobris Juliani 7, de hora 6 pomeridiana pro meridiano Hierosolymitano ineuntis, anno Periodi Julianæ 953, A. CH. N. 3761, fuit: ad quem etiam diem, atque ad idem diei tempus, Kalendarium nostrum lunare perpetuum, Periodo i, Cyclo xiii, Anno 16, novilunium Octobris commissum ostendit. Et pro ipsius quidem legibus recte; pro naturæ autem legibus perperam: nam et Cyclo xiii, Anno 16, decursus sui per periodos primi Kalendarium

ipsum, secundum leges suas, correctione unius ferme diei indigere cœperit; et novilunium verum Octobris illud A. CH. N. 3761, calculis subductis, non ad Octobris 7, sed Octobris 6, excidisse deprehendetur. Annum autem Periodi Julianæ 953, A. CH. N. 3761—id quod rationes hæ omnes supponunt—revera mundi natalem fuisse, ejusmodi est quod nullo ingenio confirmari ac stabiliri possit.

Inter hoc Kalendarium lunæ perpetuum nostrum, et Kalendarium nostrum anni sacri, summus a principio usque ad finem concentus; qualis ille etiam *a priori* exspectandus erat; siquidem Kalendarium nostrum sacrum Kalendarii perpetui nostri ἀποσπασμάτιον et portio quædam est. Itaque mirari desinat unus quilibet cur epocham Kalendarii sacri nostri neque ab Aprilis 8, novilunio Exodi, A. CH. N. 1560, neque a Martii 29, novilunio erecti post traditam Legem ad montem Sinæ Tabernaculi, A. CH. N. 1559, neque a Martii 17, novilunio trajecti Jordanis atque ingressus in terram sanctam, A. CH. N. 1520; sed ab Aprilis 7, novilunio erecti ad Silo, post debellatam et divisam terram, A. CH. N. 1511, Tabernaculi, mutuati potissimum simus. Omnes siquidem eodem recidissent necesse est; omnes enim ab uno eodemque lunaris revolutionis, jam inde a principio repetitæ et retextæ, decursu ex æquo pendebant, atque ex æquo arcessendæ erant.

Est et præterea alîus generis incommodum, quod, prælata una quavis ex epochis illis superioribus, offensuri eramus; selecta infima, contra idem cauti ac tuti sumus: e solstitio nimirum illo, quod ætate Josuæ factum est, exortum ac propagatum. Miraculum illud, cui nihil consimile, teste Scriptura, neque antea neque postea factum, quando artifex ipse et rector idem uni-

versi, *homini* dicto audiens factus, machinam mundi terrestrem hominis jussu ad duodecim usque horarum spatium, quod Scriptura diei perfecti *ad instar* vocat, ineunte cummaxime cursu ejusdem diurno, inhibere dignatus est: miraculum illud immane, inquam, quod primum intuentibus, quod ad sensum ad solem, quod ad rem ad terram, pertinuisse videtur, diligentius tamen atque attentius considerantibus, etiam ad lunam non minus quam ad solem vel terram spectasse, certissime deprehenditur.

Epocha miraculi illius, quæ et pugnæ ad Gibeonem consertæ, uti nobis e sacræ historiæ contextu, et multis ac consentientibus τῶν κύκλῳ indiciis persuasum habemus; Maii Juliani 31, feria hebdomadis prima, sub ipsum solis orientis momentum fuit: quo tempore, pro meridiano Hierosolymitano plenilunium verum, pridie, sive Maii 30, feria 7, circiter horam fere 8 A. M. commissum, una et viginti ferme horis præteritum erat. Itaque die postero, oriente cummaxime sole, luna ad occasum inclinata, et jamjam occasura esset, necesse est: quo temporis articulo et vox illa Josuæ emissa, quæ apud ipsum Deum, voci effectum sine mora præbentem, potens futura; et lunam super vallem Ajalonis, solem supra urbem Gibeonis, utrumque apud horizontem, ferme e diametro ad invicem oppositos, horarum xii, sive diei unius perfecti spatio, in statione fixura. Ex quo rerum statu quando miraculum ipsum fiebat, facile et proclive est colligere, lunam, quæ motum suum proprium ac verum habet, non minus quam solem, qui motum nullum suum habet, nisi quem de motu terræ circa axem suum rotatæ mutuari videtur, immobilem tamen factam — id quod Scriptura ῥητῶς prodit—non tantum motu illo diurno, ac mere sensibili, quem communem cum sole habet, sed etiam motu suo

proprio ac vero ad tempus carere debuisse, et si Scripturæ fides habenda, ad tempus caruisse; non minus seu potius multo magis quam solem, qui actu eodem et tempore eodem licet motu caruisse dictus, motu tamen nullo nisi sensibili atque apparente illo, quem de terra tantum mutuatur, revera carere potuit. Sed de hac quæstione subtiliter in utramque partem disputare, hujus neque temporis neque loci. Satis dictum speramus, ad fidem eo adstruendam, ubi ex his præmissis quasi sponte devolvimur: anomaliam scilicet quandam, quæ revolutionis unius diurnæ semissem valet, circa lunæ motus ex hoc miraculo profluxisse; ad quam, in computandis ipsius momentis ultra ætatem Josuæ, respectum haberi oportere, citra eandem non item. Sed ad Kalendarium nostrum revertamur.

Constat Kalendarium nostrum PERIODIS sex: quarum singulæ CYCLOS METONICOS sive novemdecennales sedecim, annos vero solares et Julianos 304 continent: exceptis tantum prima ac sexta; quarum illa cyclos quindecim, annos 285 solos complectitur; quia nimirum Kalendarii ipsius caput non ab anno A. CH. N. 1530 sed ab anno A. CH. N. 1511—propter caussas superius recensitas—arcessendum duximus: hæc autem quinque tantum cyclos solidos, et novem præterea sexti annos, annos omnino 104 continet; quia Kalendarium ipsum cum anno post Christum natum 94, Periodi sextæ 104, desinit.

Hujus in Periodos distributionis si caussa requiritur, ea a ratione motuum lunarium ad solares seu Julianos in genere petenda. Nam neomenias quidem nostras omnes civiles ac chronologicas, non autem veras et physicas esse, etiam alibi satis monuimus[b]: quarum illas suapte

[b] Præfatio ad Harmoniam Nostram, editionem tertiam.

natura fixas et immobiles, has autem fluxas ac mobiles esse præterea dictum: unde usu fieri solere, ut illæ quidem perpetuo sui decursu ad unum atque idem tempus et recidere possint et revera recidant; hæ autem non item. Et cum anni *Lunæsolaris*, qui dicitur, ejusmodi proprium sit, ut epochas quasdam partim solares partim lunares dato quovis tempore inter se committat atque easdem prodat; epochæ quidem ejusmodi solares, in kalendarii civilis illius ac chronologici usum, ab anno civili et solari quodam, qualis est Julianus, necessario arcessendæ; epochæ autem lunares eædem, cum solaribus committendæ, a naturæ, si fieri potest, veritate.

Et annus quidem civilis et solaris, seu Julianus, cum anno vertente seu naturali, qui solaris proprie dicendus, etsi ipse non idem perpetuo maneat, tamen argumenti gratia idem manere fingatur; quemadmodum pro eo quod propositum sibi habet, et quo contendere nititur, idem manere vult. Ea tamen est motuum lunarium ad annum vertentem ratio; ut constituto quam exactissime licet ad diem quendam apud annum hujusmodi sive solarem, sive Julianum pro solari positum, capite ejus; elapsis tamen a capite illo 304 annis, seu cyclis novemdecennalibus et solidis 16, omnes et singulas lunas novas totis viginti quatuor horis, aut parum admodum quod minus sit, ultra veras et physicas ipsarum epochas, a kalendario ejusmodi dilatas esse repertum iri, usu atque experientia, jam inde a temporibus Hipparchi, cujus sagacitati observatio hæc accepta ferenda, constet. Inde fit, ut cum et per 304 annos primos illos, et postea quoque in perpetuum, si nihil interea circa epocham decursus earum principalem mutationis fiat, neomeniæ omnes, seu lunæ novæ, apud kalendarium ejusmodi positæ, eundem in orbem, atque ad eosdem rursus dies quibus ab initio contributæ sint, tempore quæque

suo circumvolvantur; a neomeniis tamen seu lunis novis et veris, quibus tanquam exemplaribus suis perpetuo respondere contendunt, et quibus a principio satis exacte responderint, diei unius et noctis unius spatio in excessum deflexæ aberrent.

Quare, si Kalendarium nostrum ad motus lunæ sive veros et physicos, sive medios, (id quod sibi propositum habebat,) ab initiis suis usque ad finem satis responsurum erat; ut aliqua medela seu cautione ejusmodi errori obviam iretur necesse erat: nulla autem neque efficacior, neque promtior eadem ac simplicior, quam ut de tempore in tempus, id est post elapsos singulos 304 annos, epocha princeps lunaris nostra, in terminis anni solaris seu vertentis, vel Juliani, expressa, totis viginti quatuor horis, id est die uno et nocte una retraheretur. Inde factum est, ut cyclorum nostrorum decursus, qui anno A. CH. N. 1511 cum Aprilis Juliani 7 procedere instituerit; A. CH. N. 1226 ab Aprilis 6; A. CH. N. 922 ab Aprilis 5: A. CH. N. 618 ab Aprilis 4: A. CH. N. 314 ab Aprilis 3: A. CH. N. 10, usque ad A. D. 94, infra quem in annis expansis apud ipsum non descenditur, ab Aprilis 2 procedere reperiatur.

Pro singulis hisce totidem Periodorum nostrarum epochis, ipsi calculos inivimus, quibus neomeniæ tum mediæ tum veræ pro meridiano Hierosolymitano deprehenderentur, et deprehensæ cum neomeniis nostris, quæ in Kalendarii capite ad ceterarum decursum ordinandum constitutæ essent, conferrentur. Summa calculorum in sequentem laterculum conjecta est: cujus primus versus neomenias Kalendarii nostri, ab hora sexta pomeridiana omnes inchoandas; secundus neomenias medias ex computo; tertius veras sive astronomicas, item ex computo, monstrat.

Neomeniæ, pro singulis Kalendarii nostri Periodis.

A. CH. N.	Kalendarii.		Mediæ.		Veræ.	
		P. M.		P. M.		P. M.
1511	Aprilis 7.	6. 0. 0	Aprilis 7.	6. 6. 53	Aprilis 7.	8. 5. 46
		P. M.		A. M.		P. M.
1226	Aprilis 6.	6. 0. 0	Aprilis 7.	2. 6. 3	Aprilis 6.	7. 12. 16
		P. M.		A. M.		A. M.
922	Aprilis 5.	6. 0. 0	Aprilis 6.	2. 37. 9	Aprilis 6.	7. 57. 15
		P. M.		A. M.		A. M.
618	Aprilis 4.	6. 0. 0	Aprilis 5.	3. 8. 16	Aprilis 5.	10. 27. 39
		P. M.		A. M.		P. M.
314	Aprilis 3.	6. 0. 0	Aprilis 4.	3. 39. 22	Aprilis 3.	9. 49. 12
		P. M.		A. M.		A. M.
10	Aprilis 2.	6. 0. 0	Aprilis 3.	4. 10. 28	Aprilis 3.	8. 28. 27

Apparet ex hisce exemplis, quam prope ad novilunia media, atque etiam ad vera, neomeniæ illæ incedant, quas pro epochis Kalendarii nostri, singulis hisce annis, constituimus. Jam vero recte posito cyclorum decursus capite, decursus ipse, initio exinde sumendo, secundum leges suas deinceps procedat necesse est; nusquam autem longius a vero aberret, quam legum istarum necessitas in caussa fuerit; quæ ejusmodi est, ut per duodecim cyclos primarios neomeniæ Kalendarii ad eumdem fere diem cum neomeniis veris vel mediis redeant; per cyclos quatuor, qui agmen claudunt, eædem ad easdem relatæ ferme in posterum diem retardatæ reperiantur. Id quod omnis quisque ad calculorum fidem sine magno ipsius labore, anno quovis selecto, exigere potest; etsi omnes et singulos annos ad tale examen revocare nimis sane longum et nimis

operosum futurum. Contigit tamen et nobis, dum in novilunia vera sive pro mensibus Martii et Aprilis, sive pro ceteris inquirimus, ut hujusmodi periculum in trecentis minimum annis fecerimus; neque in majorem vel graviorem quam qualem hic describimus errorem hactenus inciderimus. In cujus rei probationem, fuit cum in animum venerit illos ipsos calculos, ad formam Tabulæ superioris adornatos, exhibere; quod nos quidem haud gravate fecissemus, de nostro ipsorum labore ac molestia parum solliciti, dummodo tam insigne documentum accurationis computi lunaris, per Kalendarium nostrum perpetuis fere annis facti, etiam oculorum testimonio subjiceretur: nisi temporis ratio et præsentis instituti necessitas chartæ parcendum admonuisset.

Omnes tamen libri sive de re astronomica, sive de re chronologica scripti, ejusmodi calculos suppeditare possunt, qui cum Kalendario nostro comparari queant. Complures etiam, etsi sparsim, tamen inter legendum diligenter attendentibus notandi occurrent. Amplissima autem atque uberrima collationis copia e Tabulis Pingreii Eclipticis hauriri potest: qui magna ipsius seu potius maxima opera, pari tamen rei chronologicæ veteris atque astronomicæ fructu, Eclipses omnes tum solis tum lunæ, ab anno A. CH. N. 1001 usque ad A. D. 1900, pro meridiano Lutetiæ Parisiorum calculavit: calculos eosdem ab A. D. 1900, ad A. D. 2000, post eum Du Vaucel continuavit [c]. Jam vero supervacaneum est ferme admonere, eclipsim solarem novilunium verum, lunarem autem plenilunium verum indicare. Ope igitur harum Tabularum, nullo non tempore circumvectionis suæ, facillimum est quam prope ad verum

[c] Eclipsium utriusque generis Tabulæ pro periodo A. CH. N. tota, apud Comment. Academiæ de Inscriptionibus et Bellis Litteris consociatæ, (Mémoires de l'Académie, &c.) volumen xlii. exstant; reliquæ ab A. D. 1 — usque ad A. D. 2000, apud L'Art de vérifier les Dates, tom. i.

accedat, vel quam longe ab eodem abludat, Kalendarium nostrum deprehendere. Perpauci enim sunt anni apud Tabulas istas, *sine eclipsi* notati: ceteri vel duas vel tres utriusque generis fere semper produnt. Quæ quidem eclipses, si recte Kalendarium nostrum procedit, solis quidem cum neomeniis seu kalendis ipsius concurrere debent; lunæ autem, cum pridie idus, vel cum idibus ipsis, id est quartisdecimis vel quintisdecimis. Nunc autem ad ejusdem explanationem revertamur.

Proprium ac primarium opus Kalendarii nostri est, NEOMENIAS mensis NISAN, ab anno A. CH. N. 1511 usque ad annum P. CH. N. 94, pro annorum in medio serie quotannis ostendere. E neomenia Nisan ceteræ pendent; ita ut primo die Nisan, pro anno quovis, dato, nihil difficile sit primos ceterorum omnium dies per annum integrum constituere. Menses enim anni sacri, sicut anni lunaris omnis fere, diebus 29 et 30, vel 30 et 29, alternis constent, necesse est; quorum hi *cavi*, illi *solidi* seu *pleni* de more vocandi. Et summa quidem dierum, mensibus binis et continuis pro hac ratione contenta, una atque eadem erit, sive a *cavis* ad *plenos*, sive a *plenis* ad *cavos* numerando procedere institueris; id est 59. Multum autem interfuerit, præ ceteris, anni lunaris talis ac Judaïci sive sacri, cujus singulæ neomeniæ peculiaribus quibusdam solennibus tum a ceteris mensium diebus, tum ab invicem, distinguendæ erant, quo ordine exorsus, quo ordine deinceps perrexeris: alioquin, confusis inter se mensium primordiis, sacra etiam, quæ ad singulos ineuntes destinata sunt, perversa inter se et confusa fiant, necesse est.

Dubitari igitur non potest, quin certa quadam regula ac bene definita jam inde a principio hæc observatio processerit. Et hodiernum quidem Judæorum kalendarium

menses suos semper a plenis orditur; unde de plenis ad cavos, non autem de cavis ad plenos, statim ab initio procedere solet, etsi certis et peculiaribus de caussis ordinem eundem ad finem usque anni integrum atque immutatum non semper observet. Vetus autem Hebræorum kalendarium, cujus exemplar apud Seldenum nostratem, De Anno Judæorum vetere, exstat, e contrario, de cavis ad plenos alternis vicibus procedebat. Quod nobis quidem, a tempore saltem inchoati Kalendarii nostri usque ad tempus excisæ Hierosolymæ, unice verum videtur: et non tantum testimonio Josephi, quod ad tempora ante et post natum Dominum nostrum, confirmari, sed etiam e variis veteris Testamenti locis expiscandum: id quod et nobis inter legendum, respectu ad hanc ipsam quæstionem diligenter habito, ut subinde animadverteremus et notaremus contigit.

Non hæsitavimus igitur, per totum Kalendarii nostri decursum, ab initio usque ad finem ejus, menses anni sacri ita recensendos ac dinumerandos proponere, ut Nisan primus diebus undetriginta, Jar secundus diebus triginta, semper constaret: pari ac consimili prorsus ratione deinceps ceteri. Omnes autem ab hora sexta pomeridiana, pro meridiano Hierolosymitano, inchoandos supponimus: quo in genere et præeuntes nobis habemus etiam hodierni Judæorum kalendarii concinnatores; subtilissimos alias atque accuratissimos viros: qui idem illud de mensium suorum initiis perpetuo sibi observandum constituerunt. Dies quidem sacer Judæorum, qui idem et civilis ac domesticus apud illos erat, a solis occasu ad solis occasum dimetiendus erat; solis autem occasus pro climate Judææ, tametsi bis in anno, semel circa æquinoctium vernale, iterum circa æquinoctium auctumnale, hora sexta pomeridiana contingere potest, tamen pro reliquis anni

vertentis tempestatibus aut aliquanto post illam horam, aut aliquanto ante eam, factus sit necesse est: ita tamen, ut neque ultra certos limites, neque infra certos limites, quos inter hora sexta æquinoctialis post meridiem mediam fere rationem obtinet, ipse solaris occasus articulus cadere possit. Nam longissimus dies, pro climate Judææ, horarum circa 14. 6′: brevissimus, horarum circa 9. 54′. Longissimus igitur vix ultra quatuordecim horas nostras extenditur, brevissimus vix intra decem restringitur. Ultimus igitur solis occasus, pro climate isto, terminus, circa 7. 3′. P. M. nostram; citimus ac primus, circa 4. 57′ nostram. Nunquam igitur aut multo tardius quam hora septima pomeridiana nostra, aut multo citius quam hora quinta pomeridiana nostra, solis occasus ibidem fit. Has inter mediam rationem obtinet hora sexta nostra: quam propterea, etsi hypotheseos gratia, nulla non tempestate tanquam statum ac proprium soli occasuro tempus, per annum integrum, apud Judæos fingimus.

Jam vero illud præterea diligenter animadvertendum; quod cum ex duodecim lunæ revolutionibus mediis ad synodum a synodo dinumeratis, præter dies collectos 354, etiam horæ residuæ quædam non minus octo supersint; e quibus singulis etiam trienniis diem solidum confici necesse sit: apud omne kalendarium lunare, atque idem civile, nisi locus semper pateat ad horas hasce superfluentes tempore suo recipiendas, necessario sequetur, ut neomeniæ civiles juxta kalendarium, et neomeniæ veræ juxta medios lunæ motus, ultra quadriennii unius spatium inter se convenire non possint. Apud kalendarium Judæorum hodiernum remedium huic incommodo paratur, adjiciendo pro re nata ad finem mensis ejusdem secundi, seu Marchesvan, die uno; quem propterea de more quidem

et secundum ordinem cavum, pro vice tamen illa, atque extra ordinem, solidum fieri volunt; ita ut mensis ille, secundus a Tisri, in anno ejusmodi, quem abundantem seu perfectum vocant, cum ceteris omnibus temporibus dierum 29 sit, uno illo tempore diebus 30 æstimetur: unde fit, ut etiam tres menses continui, ab initio primi, Tisri, Marchesvan, et Chisleu, diebus tricenis singuli constent; annus autem ipse, si communis vel ordinarius, dierum 355, si intercalaris, dierum 385 sit.

Quod idem nos facere et in mense nostro undecimo, Sebat, instituimus; ea tamen lege, quam perpetuo observamus, ut dies ille extraordinarius non nisi in annis bissexti Juliani, cum nostris de more concurrentibus, mensi nostro Sebat lunari superadjiciatur. Quod magno cum commodo fit; et neomenias mensis Nisan ad eundem diem apud annum Julianum, salva interea Kalendarii ipsius fide, restrictas semper tenet, eo usque dum tempus advenerit, cum eædem ipsæ die uno sine præjudicio jam retro agi possint. Inde usu evenit, ut si annus ille bissexti Juliani communis seu ordinarius apud Kalendarium nostrum sit, menses postremi duo, Sebat atque Adar, diebus sexaginta; si embolimæus seu intercalaris, tres postremi, Sebat, Adar, et Veadar, (qui idem est embolimæus,) diebus tricenis singuli, nonaginta conjuncti constent.

Casus huic contrarius est, quando diei unius ἐξαίρεσις, sive ademtio, de Kalendario nostro instituenda. Etenim et singulis undeviginti annis, pro lege cyclis Metonicis omnibus communi, undevicesimo anno diei unius ἐξαίρεσις nobis quoque de more est facienda; et singulis 304 annis, sive 304to quoque singularum Periodorum anno, propter caussas superius expositas, idem illud etiam altero insuper die eximendo quasi extra ordi-

nem est repetendum. Apud Judæorum kalendarium, si quando ἐξαιρέσει ejusmodi opus, necessitati illi subvenitur, die de mense ipsorum tertio Chisleu adimendo; quem propterea, contraria prorsus ac Marchesvan ratione, sed consimilem plane ad finem, de more solidum, extra ordinem tunc cavum constitui volunt. Itaque annus eorum defectivus, qui anno abundanti e contraria parte respondet, tres menses continuos, Marchesvan, Chisleu, ac Tebeth, secundum, videlicet, tertium, ac quartum, cavos singulos habet; quemadmodum annus ille alter tres menses continuos, Tisri, Marchesvan, et Chisleu, singulos solidos. Quod et nos eo usque imitari statuimus, ut singulis undevicesimis annis nostris, id est, singulis cycli cujusque Metonici et labentis extremis annis, pro lege cyclis Metonicis universis communi, diem unum mensi intercalari nostro, qui semper Veadar, eximamus; ita ut singulis annis ejusmodi, Veadar diebus 29 tantum, ceteris omnibus, diebus 30 constet: singulis autem 304 annis, id est anno Periodi cujusvis labentis extremo, non tantum Veadar, ultimo cycli mensi, pro lege usitata ac de more solenni, sed et Adar, penultimo quoque, diem insuper unum adimamus: unde retractio illa epochæ Periodi principalis, quam singulis 304 annis opus esse jam antea monuimus, non violenta nec desultoria, sed mollis, et proclivis, et tanquam ex ordine evadat. Hoc in casu, tres menses nostri, Sebat, Adar, et Veadar, atque iidem continui, diebus undetriginta singuli constare possunt: duo saltem menses continui, Adar et Veadar, diebus 29 uterque constent necesse est.

Atque hujusmodi tantum annos apud Kalendarium nostrum proprie defectivos habemus; contrarii autem generis, proprie abundantes solos: ceteros omnes ordinarios vocare atque usurpare placet. Quis est igitur

annus abundans noster? qui Sebat dierum 30 habet. Quis est annus defectivus noster? qui Adar dierum 29 habet. Quis est annus communis sive ordinarius noster? qui Sebat 29, Adar 30 dierum habet. Nam annos ejusmodi, qui Adar plenum, Veadar cavum habent, vix illos nos quidem defectivos vocandos censemus. Defectivi etiam proprie dicti, in quibus et Adar extra ordinem, et Veadar secundum ordinem, uterque cavus seu dierum 29, quinque tantum, a capite ad finem Kalendarii, reperiuntur; labentis scilicet cujusvis Periodi extremus: primus, A. CH. N. 1226, secundus, A. CH. N. 922, tertius, A. CH. N. 618, quartus, A. CH. N. 314, quintus, A. CH. N. 10. Ceteri omnes, sive ordinarios quos vocamus, sive abundantes, (priores, si communes, diebus 354, si intercalares, diebus 384, posteriores, si communes, diebus 355, si intercalares, diebus 385 semper constantes,) illi, per totum decursum Kalendarii nostri, annis communibus Julianis, hi, annis bissextis iisdem numero sunt æquales. Annus autem defectivus noster, si secundum ordinem unus, id est qui Veadar tantum cavum habet, communis quidem, dierum 383, bissextus, dierum 384 futurus est: si extra ordinem unus, id est qui præter Veadar, et Adar cavum habet, communis, dierum 382, bissextus, (quod tamen reapse nunquam pro decursu Kalendarii nostri obtinet,) dierum 383 erit.

Hisce igitur præmissis, ut neomeniarum determinatio e neomenia mensis Nisan pendentium, per totum anni sacri decursum, singulis annis nullo negotio procederet; sex TABULAS adornavimus, quæ NEOMENIAS omnes mensium omnium sacrorum, ab hora sexta pomeridiana ineuntes, in synopsin redactas, uno ambitu complecterentur: singulas quidem, pro singulis Kalendarii nostri Periodis, universas autem, pro toto tem-

poris spatio, quod a principio ejusdem ad finem usque pervenit, atque ad mille sexcentorum quatuor annorum intervallum adscendit: qua tèmporis circumscriptione colligitur summa mensium lunarium, quas *Lunationes* vocant, a synodo ad synodum confectorum, uti ex Tabulis istis patebit, 19, 851; quorum tamen omnium ac singulorum primus dies secundum Kalendarium nostrum, terminis anni Juliani et solaris reddendus, Tabularum istarum ope quam levissimo opere dignosci ac citari potest. Nihil enim necesse est, nisi neomeniam mensis primi, seu Nisan, pro dato quovis anno, e Kalendario ipso, ubi seriatim singulæ recensentur, excitare; deinde e Tabulis Neomeniarum supradictis, istam quæ datum annum intra Periodum sibi destinatam complectitur, adire: ubi in eadem linea, seu versu, ac neomenia Nisan illa, atque ad annum cycli novemdecennalis eumdem, neomeniæ omnes reliquæ ejusdem anni, sive abundantis sive defectivi, sive ordinarii sive embolimæi, ex lege cycli seu Kalendarii, sive communis sive bissexti, ex lege quadriennii Juliani, a capite ad finem in terminis anni Juliani consimilem prorsus ad modum perscriptæ reperientur: omnes, ut superius monuimus, ab hora sexta pomeridiana ejus diei, ad horam sextam pomeridianam *postridie*, numerandæ.

Septima vero TABULA quædam et CHARACTERES, qui vocantur, mensium omnium reliquorum apud annum lunarem ac sacrum nostrum, de *charactere* mensis Nisan similiter pendentes, per totum ejus decursum reddit. *Characteres* isti de feriis, sive de diebus hebdomadæ intelligendi sunt, quibus singuli menses post Nisan ineant necesse est, si mensis Nisan omnium primus data quavis feria inierit: omnes autem a Tabula nostra septima, cujuscunque generis annus fuerit, plenissime et luculentissime indicantur. Ex TABULIS hisce VII,

data tantum neomenia mensis Nisan, et data feria qua inierit, (quorum utrumque apud Kalendarium nostrum pro annis expansis perpetuo notatum reperitur,) quivis etiamsi tiro, ac litterarum harum rudissimus, nullo tamen negotio et neomeniam alîus cujusvis mensis, et feriam hebdomadæ qua inierit, celerrime simul et certissime deprehendere poterit.

Et quamvis, dum hæc omnia pro virili nostro sarta tecta præstanda curamus, incredibile pæne dictu, quantum tædii, quantum molestiæ, quantum denique sollicitudinis perpessi sumus, qui reluctante genio atque invita Minerva ad hujusmodi commentationes detrusos nos esse sentiebamus; tamen si quid levamenti vel utilitatis exinde ad alios redundaturum esse sperare audemus, hæc omnia æqui bonique facimus, atque operam nostram in hisce positam bene collocatam esse confitemur. Restat tamen de explanatione Kalendarii quam ingressi sumus, pars magna, atque haud scimus an maxima, Prima, quod ad TERMINOS PASCHALES; Secunda, quod ad FERIARUM CYCLUM; Tertia, quod ad CYCLUM SABBATICUM attinet. De quorum singulis suo ordine dicendum.

Per TERMINOS PASCHALES certos quosdam limites intelligimus, quos intra Paschatis Judaïci non minus quam Christiani celebratio destinanda erat: quorum hi citimam, illi ultimam ejusdem *προθεσμίαν* definirent; ita ut neque illis prior, neque hisce posterior perpetuis fere sæculis fieret. Quos quidem limites et fixos esse debere, si tali usui inservituri erant, et tamen fluxos eosdem ac mobiles, eam ipsam potissimum ob caussam ut ejusmodi usui inservire possent; etsi contradictionem quandam ita positum sapiat, tamen et verum

est, et sequentem ad modum verum esse confirmari potest.

Inter conditiones nimirum illas, quæ ad Pascha celebrandum præscriptæ atque observandæ occurrunt, nihil antiquius memoratum, nihil destinatius repetitum, quam ut *stato suo* tempore celebratio illa quotannis fieret. Et tametsi statum illud tempus verbis conceptis definitum nusquam reperiatur; tamen ab exemplo Paschatis ejus, quod omnium primum auctore Mose, et tantum non sub oculis ipsius Dei, in Ægypto pridie Exodi factum est, facilem et certam de eo conjecturam instituere licet.

Pascha scilicet illud quartodecimo mensis primi secundum Judæos, nono mensis Aprilis in anno Juliano, quatuor diebus post vernale æquinoctium medium jam præteritum, celebratum est: æquinoctium enim vernale ac medium, pro meridiano On sive Heliopolis, ætate Mosis, Babylonis Ægyptiæ, tempore Evangelii, Alcairi hodierni, temporibus nostris, (quæ omnia ferme eodem redeunt,) Aprilis Juliani 5, anno A. CH. N. 1560 commissum est. Itaque Pascha illud primarium sub veris initio, et ferme ipso vernalis æquinoctii die celebratum est: quo in genere, si legem Paschatis universis inferioris ævi, prout par erat, dederit, *statum* illud *tempus*, quod tamquam solenne atque ordinarium, atque uno verbo *suum* ac *proprium*, omnibus præstitutum erat, ad vernam anni tempestatem restrictum fuerit necesse est: id quod consensu atque observatione Ecclesiæ etiam Judaïcæ ita confirmatum est, ut per mille sexcentos annos exemplum secus facti (Paschatis secundis illis ipsis, sive mense secundo seu Jar fieri solitis, non exceptis) frustra requisieris; atque eadem prorsus opera ad Pascha provocare possis, quod ullo mensis die nisi quartodecimo, ac quod ullo mense anni

nisi eo qui circa æquinoctium vernale exciderit, celebratum sit. Dubitari igitur non potest, quin per *statum* illud *tempus*, Paschati quotannis observando tam diu antea præstitutum, vernalis anni temperies in genere intelligenda sit. De quo Legis præscripto multa dicturi essemus, nisi præsentis instituti ratio brevitati consulendum admoneret: neque enim temere aut fortuito factum quis existimaverit, ut principale illud et regium sacrum, quod clavum anni totius sacri movebat, et ceterorum sacrorum omnium agmen ducebat, ordinem et tempora constituebat, in hanc potissimum anni tempestatem conjectum sit: præsertim cum eo quoque animum adverterit, quod non Kalendarii tantum sacri, sed et anni apud Judæos popularis futuri ac civilis, tempestas eadem principium facta est.

Tempus hoc Paschatis statum ac proprium alio quoque nomine mensis Abib dicitur; unde idem ac prius de tempore ipso conjiciendum: siquidem mensis ille, uti nobis videtur, ita appellatus est, nomine non de kalendario Ægyptio desumto, sed ad hanc ipsam occasionem nato, et nunc primum indito. Neque enim ante institutum Pascha, vel hujus vel alîus cujusvis mensis, sub nomine ullo suo ac proprio, apud sacras litteras mentio fit; post institutum vero, hujus cum primis, et sub hoc nomine, semper autem cum Pascha conjuncti, sæpius. Ægyptii porro, præ universa antiquitate consuetudinum gentilium suarum et morum majorum in ceteris omnibus tenaces, anni quoque civilis sui unam atque eandem formam, et kalendarii popularis sui unum atque eundem mensium, eodem ordine atque iisdem cum nominibus decurrentium, contextum, non tantum a remotissima vetustate, cujus origines nusquam nisi cum mundi ipsius primordiis consistere videris, sed ad tempora etiam nostra, (sin minus, quod

infra Æram Christianam vulgarem longe descendit,) propagatum ac conservatum habuerunt. Cujus etiam kalendarii menses illos, qui tunc cummaxime in ordine erant, cum Pascha Judæorum et primum institutum et postea celebratum est, partim quidem septimum fuisse, cui nomen ab antiquo Phamenoth, partim autem octavum, cui nomen primordiale Pharmuthi, (cum quorum tamen utroque, diversa tantum decursus sui parte, mensis unus Judaïcus, Abib videlicet hicce, de quo agimus, concurrebat,) multis et certis argumentis, tametsi nimis longis et nimis subtilibus, quam ut nunc ipsum adducantur et explicentur, evinci posse, satis persuasum nobis habemus: unde etiam retractionem illam anni principii a mense civili primo ad mensem civilem septimum, id est ab æquinoctio auctumnali ad æquinoctium vernale, quæ simul cum Pascha instituto facta est, mirum in modum illustrari atque explanari contigerit; et præterea rationem de eo reddi, quod nemini non postea animadvertendum, nemini etiam non cum admiratione inquirendum est; unde scilicet factum sit, ut constituto jam ad mensem Abib seu Nisan, atque ad æquinoctium vernum, anni sacri Judaïci, qui civilis et popularis iisdem futurus erat, capite, (quod verissimum est,) tamen initii ejusdem alterius, circa kalendas Tisri et æquinoctium auctumnale vel facti vel faciendi, (quod etiam negari nequit,) mentio fiat.

Nomen igitur Abib hoc ipso tempore, atque ex hac ipsa occasione, nobis ortum videtur, ut mensem Paschati celebrando quotannis solennem, atque eundem kalendarii novi et civilis in Israëlitarum usum excogitandi principem, quam maxime rite exprimeret. Jam vero, respectu ad vocis ipsius significationem habito, mensis Abib mensem *spicarum viridantium* notet necesse est: non *viridantium* simpliciter in genere, sed, ex

propria vocis Hebraïcæ vi atque intentione, *viridantium spicarum* in specie. Quam vocis virtutem ipsam et significationem si cum eo contuleris, quod eadem ipsa tempestate et fieri jussum, et quotannis fieri solebat, die nimirum mensis ejusdem decimo sexto, die azymorum secundo, Paschatis immolati perendino, manipuli illius de spicis hordei maturis, vel saltem maturescentibus, messis hordeaceæ universæ primitiarum nomine, nullo non anno solennis oblatio; nullus dubitaveris, confidimus, quin ea ipsa de caussa nomen ac titulus Abib huic mensi potissimum inrogatus sit, quod ea potissimum tempestate, cummaxime mensis ille instaret, ex naturæ legibus fruges terrarum, atque inprimis seges hordeacea, vel jam maturæ essent, vel saltem maturescerent: quod pro climate Ægypti, vel confinis Ægypto Judææ, inter quas sementis et messis ratione parum aut nihil distat, circa æquinoctium vernale perpetuo fere obtinet.

Idem igitur sonat, (atque idem procul dubio a principio sonare volebat,) ad tempus Paschati celebrando destinatum quotannis, et fixum, indicandum, sive æquinoctium vernale, sive mensis novarum, sive tempestas ipsius stata et propria, tempus illud pronuntiatum sit. Illud tantum interfuerit, ut cum anni tempestatem, prima, cum diem, secunda, cum utrumque vel utrumvis indicare velis, postrema ex appellationibus istis rectius usus fueris. Constituatur igitur, tamquam fixum aliquid jam inde a principio atque immobile, Paschatis observationem nullo non anno unam atque eandem anni tempestatem neque antevertere neque excedere, ultra quod leges naturæ patiantur, debere; cujus mensuram ac modum frugum terrenarum, ac præcipue hordeacearum, circa eandem aut jam maturatarum aut in diem maturescentium, necessitatem futuram. Neces-

sitas illa ex anni tempestatibus pendet: aliud sementi, aliud messi, aliud vindemiæ a naturæ legibus tempus constitutum: quorum tamen omnium discrimen inter se solum facit in puncta cardinalia orbis ecliptici, per quem annuus solis gyrus explicatur, diversis temporibus diversus ejusdem ingressus. Itaque circa varias anni tempestates, et varios terræ proventus aut maturos factos aut maturescentes, nihil variatum erit, nisi etiam in ingressibus illis prius aliquid variatum fuerit: quod licet in anno solari ac naturali per se spectato fieri nequeat, tamen in anno eodem ad annum civilem quendam, qualis est Julianus, adplicato, per πρόληψιν, μετάπτωσιν, seu præcessionem quam vocant punctorum istorum cardinalium, et fieri potest, atque usu quam maxime fieri observatum est.

Nam cum annus Julianus et medius diebus CCCLXV, horis sex, æquabiliter constet, annus autem medius vertens seu tropicus, id est solaris ac verus, undecim sexagesimis horæ unius partibus, quæ minuta vocantur, et quod excurrit, infra illud temporis spatium confectus cadat; fieri non potest, quin punctorum cardinalium, apud annum vertentem, cum anno Juliano commissuræ singulis annis undecim minimum momentis illis anticipatæ reperiantur: quod perpetuo repetitum mox in dies justos ac solidos evadet. Exempli gratia, dies ille, qui commissuram puncti æquinoctialis vernalem anni vertentis cum anno Juliano, A. CH. N. 1560, tempore Exodi, uti superius dictum est, articulatim repræsentabat, Aprilis 5 erat; idem ille dies, tempore nati Domini nostri, Martii 22 erat: quorum hic ab illo diebus XIV totis distat. Ejusmodi igitur προλήψεως sive anticipationis puncti cardinalis illius magnitudo fuerit, quæ interea temporis facta est. Jam vero, si circa Aprilis Juliani 5, qui tempore Exodi ad articulum

æquinoctii verni cum anno Juliano commissi respondebat, non autem circa punctum æquinoctiale ipsum, tanquam centrum suum, Paschalis observationis gyrum perpetuo revolvendum collectum esset; quanta procedente tempore a Legislatoris mente declinatio facta esset, et quantum in conditiones Paschæ celebrando inviolabiliter observandas præstitutas, usu atque observatione peccatum esset, nemo non videt. Sæpissime enim contigisset, præsertim cum ad tempora nati Evangelii deventum esset, ut fruges terræ a. d. XI kalendas Apriles jam maturæ essent, manipulus autem aristarum ille, qui decimo sexto mensis Nisan, Paschalis solennitatis tertio die, una cum frugibus maturis vel maturescentibus, primitiarum nomine, pro ipsis præsentandus erat, etiam a. d. VI nonas Maii nondum oblatus foret.

Apparet igitur ex hisce, verum fuisse quod superius a nobis positum; Terminos scilicet Paschales jam inde a principio et fixos et mobiles eosdem fuisse; fixos quidem ratione anni vertentis seu naturalis, ad cujus unam atque eandem tempestatem perpetuo destinandi erant; mobiles eosdem ratione anni civilis ac solaris, cujus unus atque idem dies cum uno atque eodem puncto apud annum vertentem et naturalem perpetuo concurrere nequit. Dubitari non potest, quin Termini illi de tempore in tempus, ante natum Dominum nostrum, ab Ecclesia Hebræa pro re nata mutati inter se fuerint; illud tantum in controversiam venire potest, secundum quam legem, vel quibus temporibus id factum sit: de quorum utroque cum scripti nihil, testimonii nomine, exstet, quid factum fuerit conjectura tantum adsequi licet.

Et nobis quidem omnino verisimillimum videtur,

unam eandemque regulam, quæ huic usui inserviret, a primis temporibus usque ad ultima propagatam; qualem illam si pro ætate Domini nostri expiscari potuissemus, deprehensam quoque ac determinatam pro tempore omni retroacto haberemus. Jam vero ex diligenti virorum doctorum in hanc ipsam quæstionem inquisitione, jam antea satis quadamtenus exploratum et confirmatum esse videri poterat, Paschatis commemorandi inter Judæos citimum Terminum, circiter æram Christi vulgarem, non infra Martii Juliani 18 de more cadere solitum; extremum, non ultra Aprilis Juliani 16 excurrere: quod nobis etiam satis probatur, et cum indiciis Kalendarii nostri, uti postea patebit, adprime convenit; nisi quod primum Paschatis celebrandi Terminum ad Martii 19, ultimum ad Aprilis 17, eadem tempestate statuendum potius opinati simus. Hisce igitur positis, proximum est anquirere, qualem et quantam rationem Termini isti circa idem tempus ad æquinoctium vernale obtinuerint.

Æquinoctium vernale, tempore emendati a Julio Cæsare kalendarii Romani, ad VIII kalendas Apriles commissum deprehensum fuerit, necesse est; ad eum enim ipsum diem, tum in kalendario Cæsaris, tum in omni fere ejusdem generis kalendario, perpetuo quasi postea notatum reperitur: dies autem octavus ante kalendas Aprilis Martii 25 vulgo respondere supponitur. Hac igitur ratione, æquinoctium vernum A. CH. N. 46, vel 45, Martii 25 commissum fuisse, a Cæsare creditum fuerit necesse est: quod tamen, hac ipsa tempestate, non posterius quam Martii 23 committi solebat, et tunc cummaxime ad Martii 22 spectabat. Ita bidui error, ne dicam tridui, in constituendo æquinoctii vernalis puncto, ante duos tantum et quadraginta, vel unum et quadraginta, nati Domini annos, hac ratione admissus,

et postea in fidem apud vulgus receptus fuerit: error autem ejusmodi anne revera in Julium Cæsarem, tantum virum, summum et ipsum astronomum, vel in adjutorem ac socium ipsi ad corrigendum kalendarium Romanum adhibitum, principem scholæ Alexandrinæ, Hipparchi successorem, Sosigenem, post tres etiam de rebus iisdem commentationes, cadere potuerit—gravis admodum et magni momenti quæstio est, sed alia prorsus, et nobis quidem in præsenti non necessaria.

Error tamen ille, si pari prorsus ratione ab ultimis temporibus ad prima usque retro volvendus fingatur; dies idem commissi profectionis ab Ægypto tempore æquinoctii, (Aprilis videlicet 5,) usque ad 7 ejusdem mensis ampliandus evaserit. Et revera æquinoctii utriusvis articulatim quidem commissi tempus—id est momentum temporis illud, quando duodecim mediæ inter se longitudinis horis post elevationem centri solis supra lineam horizontalem confectis, idem centrum infra eandem rursus demittitur—ejusmodi est, quod sensu dignosci, atque oculorum acie explorari, nequaquam potest *. Adde quod lucis quæ dicitur *ἀνάκλασις*, sive radiorum solis refractio, ex ambiente circum aëre nata, unde imago ipsius aliquantum temporis etiam ante exortum,

* Plutarchus, Moralia, ii. 112. Quæstiones Romanæ, 84. ubi de quæstione agit cur principium diei civilis, et supputatio temporis civilis, apud Romanos, ad mediam noctem constituta sit, atque a media nocte proficiscatur.

Ἡ δύσει μὲν καὶ ἀνατολῇ λαμβάνειν ἀρχὴν ἡμέρας καὶ τελευτὴν οὐ δυνατόν ἐστιν· ὡς μὲν γὰρ οἱ πολλοὶ τῇ αἰσθήσει διορίζουσιν, ἡμέρας μὲν ἀρχὴν τὴν πρώτην ἀνάσχεσιν τοῦ ἡλίου, νυκτὸς δὲ, τελευταίαν ἀπόκρυψιν λαμβάνοντες, οὐχ ἕξομεν ἰσημερίαν, ἀλλ' ἣν μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ νύκτα παρισοῦσθαι δοκοῦμεν, αὕτη τῆς ἡμέρας ἐλάττων φανεῖται τῷ τοῦ ἡλίου μεγέθει· ὃ δὲ αὖ πάλιν οἱ μαθηματικοὶ, ταύτην ἰώμενοι τὴν ἀτοπίαν, τίθενται, τὸ τοῦ ἡλίου κέντρον ὅταν ἅψηται τοῦ ὁρίζοντος, ἡμέρας διορισμὸν εἶναι καὶ νυκτὸς, ἀναίρεσίς ἐστι τῆς ἐναργείας· συμβήσεται γὰρ, ἔτι πολλοῦ φωτὸς ὑπὲρ γῆν ὄντος, καὶ τοῦ ἡλίου καταλάμποντος ἡμᾶς, μηδέπω ἡμέραν ὁμολογεῖν, ἀλλ' ἔτι νύκτα εἶναι.

vel post occasum, vere et physice factum, supra horizontem tamen visibilis fit; in omni pæne climate necessario in caussa sit, aut in caussa esse possit, cur puncti æquinoctialis commissura, id est diei et noctis ortu atque occasu solis sensibili ab invicem discernendæ æqualitas, quod ad sensum, certo dierum plus minus numero maturius advenisse videatur, quam revera advenerit. Atque ex hac caussa, inter alias, profectum putaverimus, quod omni ferme tempore, et sane tempore nati Evangelii, citimus Paschæ apud Judæos Terminus non ad ipsum æquinoctii vernalis ac medii diem adligatus, sed ad certum usque intervallum ab eodem retrorsum tractus, reperiatur. Intervallum enim illud, respectu ad id, quod revera de æquinoctio vernali eadem tempestate fiebat, habito, quatuor dierum πρόληψιν nunquam excessisse compertum: quatuor autem vel trium dierum spatium totum illud, quod inter æquinoctium revera commissum, atque idem tempus ex lucis refractione præjudicandum atque anticipandum, pro climate saltem Judææ, discriminis interfuturum sit, tanquam æquiparare ferme et valere potest.

Quamobrem, si una quædam atque eadem regula ad Terminos Paschales, una cum respectu ejusmodi ad æquinoctium vernale ac medium, definiendos, a primis usque temporibus usu celebrata sit; sequitur, ut si tempore nati Evangelii citimus Paschæ Terminus, cum ejusmodi respectu constitutus, tamen ipsum æquinoctii diem quatriduo anteverterit, tempore etiam Mosis, atque Exodi ex Ægypto faciendæ, idem de eodem constituatur, par sit. Citimus autem Terminus ultimum necessario defigit; qui nunquam ab eo ultra mensis unius lunaris et medii, a synodo ad synodum confecti, justam mensuram, id est dierum 30 vel 29 spatium, prolatari ac promoveri potest.

Quare, si pari jure et pari ratione poni atque assumi potest, æquinoctium vernale et medium anno A. CH. N. 1511 circiter Aprilis Juliani 3 vel 4 committi solitum, atque anno A. CH. N. 4, cum natus est Dominus noster, Martii Juliani 22 vel 23; pari porro jure et pari prorsus ratione primus et citimus Paschatis observandi Terminus, A. CH. N. 1511, ad Martii Juliani 30, atque A. CH. N. 4, ad Martii Juliani 19, extremus autem atque ultimus, A. CH. N. 1511, ad Aprilis 28, æque ac A. CH. N. 4, ad Aprilis 17, tum a nobis constitui potest, tum constitui debere videtur. Ex quo, tanquam fundamento ac principio, ad cetera consimili ratione ordinanda et dirigenda processimus; et Terminorum Paschalium nostrorum tum constitutionem in tempus, tum mutationem ac translationem post tempus faciendam, una atque eadem regula exinde sumenda, a capite ad finem Kalendarii nostri, explicandam duximus.

De temporibus autem quibus mutatio illa et translatio illa Terminorum aut facta revera fuerit, aut fieri debuerit, anceps in primis ac lubrica quæstio: non quidem sua ipsius natura, unde nihil difficultatis offertur, sed propter dubitationem istam, et scrupulos istos, qui merito subnasci possunt, cum de præcessione punctorum æquinoctialium, et de correctione anni civilis per intervalla temporum ad illam accommodanda, pro sæculis longe retroactis mentionem facimus. Desiderari enim, ad hujus generis correctionem, tum anni vertentis, solaris ac naturalis, accuratam cognitionem, tum anni civilis et solaris, qualis est Julianus, in usum quotidianum recepti formam quandam: quorum tamen utrumvis temporibus hisce de quibus agimus in promtu fuisse, recentioribus forsan temere persuasum non erit.

De hac tamen, et de hujusmodi quæstionibus in

genere, quid nos quidem sentiamus, alibi paucis dictum est[d]. Unum et alterum tantum in præsentia his adjiciendum. Primum, scilicet, punctorum æquinoctialium etiam in plano æquatoris circuli retrocessionem illam veram, (quod multo sublimius quiddam et subtilius sapit,) atque etiam ante Hipparchum, veteribus præceptam fuisse; nedum præcessionem ac πρόληψιν illam quæ de commissura anni vertentis et naturalis atque anni cujusdam civilis ac fixi, inæqualis inter se magnitudinis utriusque, tantum oritur. Deinde, anni civilis et solaris formam illam, quam Julio Cæsari acceptam ferimus, et Julianam cummaxime usu nostro celebratam vocamus; tamen a Julio Cæsare non revera profectam esse, sed, ut nobis haud sine caussa persuasum est, ab Ægyptiis primitus derivandam; apud quos, sub forma anni ea, et nomine anni illo, qui proprie *Sothiacus* seu *Canicularis* audit, mille ducentis minimum ante natum Cæsarem annis usu recepta fuerit: eandem porro, vel plane consimilem anni civilis formam, tum locis, tum temporibus, longe ab Ægypto, ab Italia, atque a Cæsare Julio remotis, apud Sinenses et Indos et Siamenses, atque etiam Mexicanos et Peruvianos veteres, ne plures commemoremus, non cognitam tantum sed etiam civilem ac popularem fuisse.

Quod autem ad anni vertentis seu tropici magnitudinem, sive spatium temporis illud, diebus et noctibus æqualis inter se longitudinis dimensum, quo æquinoctialis vel solstitialis gyrus, ab uno et suo orbis ecliptici puncto, ad idem illud circumagitur: magnitudinem istam multas apud gentes, et compluribus simul terrarum orbis in regionibus, non minus accurate ab antiquis perpensam et deprehensam esse, quam tempore saltem reformationis inter nos kalendarii Juliani, auspiciis

d Præfatio ad Harmoniam Evangelicam, Editionem tertiam.

Papæ Gregorii inchoatæ, recentioribus cognita et determinata sit, satis superque ab aliis disputatum atque ab aliis demonstratum est. Itaque nihil est caussæ cur in hac quæstione diutius moremur; vel cur de variis anni vertentis ad Julianum comparati mensuris solliciti nimis simus. Constat siquidem, secundum rationes illas quæ hujus anni magnitudinem, $365^d. 5^h. 49'. 12''$ constituunt, et Gregorianæ sive Ecclesiasticæ dici possunt, anticipationem punctorum æquinoctialium, apud annum naturalem ad civilem relatum, singulis fere 133 annis ad diem unum et noctem unam adscendere factam esse: ideoque apud annum civilem ejusmodi, qualis est Julianus, punctorum istorum, in terminis ejus exprimendorum, singulis fere 133 annis, diei unius et noctis unius retractionem fieri debere.

Neque nescii sumus hanc ipsam mensuram excessu quodam ultra verum peccare; et singulis potius 129, quam 133, annis ejusmodi retractionem fieri debere. Sed in hoc genere, et si quando alias ad sensus discrimen, non ad computi ἀκρίβειαν, res reciderit, parum intererit, sive 129 sive 133 annis auctam adeo præcessionis summam dixeris, ut ad diem solidum tantum adscenderit. Nulla sensuum subtilitas quid inter diem solidum, cum diei parte quota, qui præcessionis summam reapse valeat, et diem unum tantum, discriminis intersit, dijudicare poterit. Quod autem suapte natura parum admodum ac levis momenti, etiamsi sensibus perciperetur, futurum erat, idem illud, insensibile prorsus et latens, merito pro nihilo reputari potest.

Non dubitavimus igitur, de Kalendario nostro, Terminos ejusdem Paschales, tum citimos tum extremos, singulis 133 annis, non autem paucioribus neque pluribus, refingendos ponere: unde etiam forte fortuna

quidem, sed bona illa admodum et commoda, factu futurum erat, ut Termini illi nunquam prius refingendi forent, quam cyclus aliquis novemdecennalis ad finem perductus esset. Quod contra non evenisset: 129 enim, vel 137 anni justum numerum cyclorum Metonicorum non continent; 133 autem, cyclis integris septem constant. Accipe igitur LATERCULUM, qui ÆQUINOCTIA VERNA MEDIA—NEOMENIAS PASCHALES—et TERMINOS PASCHALES—pro singulis, 133 annorum, istiusmodi Periodis, a capite usque ad finem Kalendarii nostri, totidem sui versibus repræsentabit.

LATERCULUS.

A. CH. N.	Æquinoctia Verna Media.	Neomeniæ Paschales.	Termini Paschales.
1511	Apr. 3 vel 4	Mar. 16, Apr. 14	Mar. 30, Apr. 28
1378	Apr. 2 vel 3	Mar. 15, Apr. 13	Mar. 29, Apr. 27
1245	Apr. 1 vel 2	Mar. 14, Apr. 12	Mar. 28, Apr. 26
1112	Mar. 31 vel Apr. 1	Mar. 13, Apr. 11	Mar. 27, Apr. 25
979	Mar. 30 vel 31	Mar. 12, Apr. 10	Mar. 26, Apr. 24
846	Mar. 29 vel 30	Mar. 11, Apr. 9	Mar. 25, Apr. 23
713	Mar. 28 vel 29	Mar. 10, Apr. 8	Mar. 24, Apr. 22
580	Mar. 27	Mar. 9, Apr. 7	Mar. 23, Apr. 21
447	Mar. 26	Mar. 8, Apr. 6	Mar. 22, Apr. 20
314	Mar. 25	Mar. 7, Apr. 5	Mar. 21, Apr. 19
181	Mar. 24	Mar. 6, Apr. 4	Mar. 20, Apr. 18
48	Mar. 23	Mar. 5, Apr. 3	Mar. 19, Apr. 17
A.D. 86	Mar. 22	Mar. 4, Apr. 2	Mar. 18, Apr. 16

Illud præterea admonendum, ex hac necessitate mutandorum subinde Terminorum Paschalium nostrorum, annorum embolimæorum rationes apud cyclos nostros non perpetuo eodem ordine procedere, qui cyclis Metonicis usu plerumque tritus ac familiaris est. Secundum ordinem istum, annus cujusvis cycli *tertius*, *quintus*, *octavus*, *undecimus*, *tertiusdecimus*, *sextusdecimus* atque *undevicesimus*, semper ferme embolimæi futuri: quod idem et apud cyclos nostros ab exordio quidem constare, etsi non ad finem usque observari, reperietur. Et *tertius* quidem annus, *undecimus*, et *nonusdecimus*, etiam in Kalendario nostro, perpetuo embolimæi: *quintus* autem post tempus cum *sexto*, *octavus* cum *nono*, *tertiusdecimus* cum *quartodecimo*, et *sextusdecimus* cum *septimodecimo* commutatur: ita tamen ut nullo non cyclo neque minus neque plus quam *septem* anni embolimæi seu intercalares reperiantur; apud nullum non neque minus neque plus quam justus numerus revolutionum lunarium, a synodo ad synodum conficiendarum, qui in cyclos Metonicos sive decemnovennales de more cadit, id est CCXXXV, recensendus atque enumerandus prodeat.

Jam vero ad FERIARUM HEBDOMADIS CYCLUM transeamus. Feriarum hebdomadis a mundi primordiis usque circuitionem quandam fixam et constitutam fuisse, unde a prima ad septimam sine intermissione devolverentur; et pausa cum septima facta, rursus de novo eundem in orbem procederent: nemo qui cosmogoniam Mosaïcam non incredulus legerit, dubitare potest. Quam porro feriarum circuitionem exinde potissimum originem suam traxisse, seu potius ad nihil aliud acceptam ferendam, nisi quod summus mundi Artifex sex continuis diebus opus suum perficere, septimo autem, com-

pletis et perfectis jam universis, ab operis labore quasi adquiescere tandem dignatus sit; ex eodem testimonio non minus liquet. Hoc tamen omne nostri caussa factum, nihil est quod probare satagamus. Quis enim sanus in dubium vocaverit? Quantum autem ad nosmet pertinuerit, et quanta virtute, ad omnem insequentis ævi temporis decursum ordinandum, præditum fuerit, facile est perspicere. Neque enim nisi sex continuis diebus, non autem, quæ erat ejus omnipotentia, die uno, vel hora una, immo potius momento et στιγμῇ temporis una, universum illud omne quod spectamus creare dignatus esset opifex ille Divinus; septimo primum die tanquam a creationis labore adquiescere potuisset: neque nisi septimo primum, tanquam a creationis opera ac labore adquievisset, eidem tamquam quiete refectus et recreatus benedicere potuisset: neque nisi septimo primum diei præ ceteris benedixisset, septimus ille dies aliquid sanctitatis præ ceteris ante se elapsis, aut post se elapsuris, unde hominibus cultu quodam peculiari distinguendus ac celebrandus foret, perpetuum in ævum contraxisset. Quamobrem nobismet persuadere nequimus, quin diei septimi consecrationem jam inde a principio factam; neque quin diei septimi observationem quandam, qualis qualis illa fuerit, ab eodem usque tempore hominibus injunctam credamus: utcunque, procedente tempore, et crescente in dies hominum iniquitate, sive negligentia illa pessumdari, sive oblivione paulatim aboleri, poterat.

Hujus autem observationis an indicia aliqua e vetustissima humani generis historia, quæ nusquam nisi apud sacros annales exstat, a mundi primordiis usque ad Exodum, deprehendi et colligi possint; nimis longum esset in præsenti disceptare. Post Exodum tamen ex Ægypto, certissima ejusdem vestigia sese obferre in-

stituunt, quæ nunquam deinceps interrupta ad nostra usque tempora continuata sunt; et nunquam etiam post nos intermittenda, ad finem usque sæculi procul dubio perrectura sunt. Horum vestigiorum epocha omnium prima, ut satis nobis constat, ad tempus illud destinanda et determinanda est, cum jam diem tricesimum ab Ægypto profecti Israëlitæ, itinere Sinam versus faciendo, ad eremum Sin deducti sunt: de quo Exodus, xvi. 1. Postero deductionis die, Mannæ Dispensatio inchoata est; ab eo usque tempore quadraginta annos, continuos eosdem ac solidos, occupatura. Septimo autem inchoatæ ejusdem die, sabbati dies illuxit, nostro judicio omnium primus, qui certa fide et a Deo hominibus ad observandum propositus, et ab hominibus, Deo dicto obedientibus factis, observatus, posterorum memoriæ innotuit. Dies ille, sabbaticorum princeps, secundum calculos nostros, in Jar Judaïci seu sacri, id est mensis secundi qui tunc erat, 22, Maii Juliani 17, incidit; retro autem a mundi primordiis repetitus, atque a die illo, quem nos quidem mundi natalem judicamus, per decursum dierum ac noctium, mediæ et æqualis inter se longitudinis, ad septimanas redactorum, dinumeratus, 127, 525 ordine erat: totidem enim sabbata inter septimum illum creationis diem, et septimum huncce Dispensationis Mannæ, ad Sin eremum inchoatæ, effluxerant.

Atque hæc quidem omnia, licet apte inter se cohærentia, neque eo saltem nomine in crimen vocanda, tamen haud ignari sumus suspicioni cuidam, tanquam nostra ipsorum auctoritate freta, non autem suis atque idoneis testimoniis confirmata, etiam apud æquos et candidos lectores obnoxia fieri posse. Diem vero mundi natalem, si quis tam augusto titulo jactabundus sese obtulerit, non levi illum fide, neque levibus sui argu-

mentis, sed vel maximis et gravissimis opus habere merito dici potest. Constat autem, de ullo ejusmodi die altum apud sacras litteras silentium: altum etiam apud profanas, nisi ubi somniis indulgeant: quæ etsi maxime vigilantes et maxime sobriæ diem tamen aliquem nobis, tanquam istiusmodi, auctoritate sua commendare instituissent; quis tamen ipsis auctoribus, nisi contestantibus et comprobantibus etiam sacris litteris, fidem habiturus esset?

At vero, tametsi dies mundi natalis apud sacras litteras nusquam proditur, annus tamen mundi natalis ex ipsarum testimonio non ita gravi opere colligi potest; modo Hebraïcæ veritatis fidem, non autem spuriæ illius et commentitiæ τῶν Septuaginta supputationis, in omnibus religiosissime observandam constituamus. Posito autem anno, etiam dies mundi natalitius multa cum verisimilitudine erui potest; modo ne quid ultra quod scriptum est sapere audeamus, neque somnia et conjecturas, vel præjudicatas opiniones nostras, in locum veritatis authenticæ substituere: multo enim magis ab his cavendum est, ne etiam contra lucem præeuntem prudentes a vero abducant, quam a rei ipsius obscuritate, ne propter lucis defectum, animis tamen a præjudiciis liberis, imprudentes in errorem deflectat.

Etenim, constituto jam anno mundi natali, ad diem præterea natalem ipsæ rationes astronomicæ, quibus omnes et singuli quam maximum momentum, et summam auctoritatem, certatim attributuri sunt, quasi manuductrices fieri debent: siquidem dies ille characteribus ac notis astronomicis quibusdam, tum ad solares tum ad lunares motus pertinentibus, quibus ab omnibus aliis ejusdem saltem anni, sin minus omnium post se vel ante se annorum, distinguatur ac dignoscatur,

insignitus sit, necesse est: quorum investigatio et deprehensio astronomorum proprium ac peculiare opus.

Deinde, sabbatorum ac feriarum hebdomadis series, quæ ab eo usque die repetenda, cum multis anteacti temporis feriatis diebus, per quos sabbatorum maxime dies intelligimus, congruerit oportet; de quibus nullus dubitandi locus esse possit: quale illud fuerit sabbatorum omnium ejusmodi maxime certum, atque ab omnibus qui fidem Christianam profitentur maxime commemorandum, quo Dominus noster, post cruci adfixionem, ante resurrectionem, in sepulcro adhuc requiescebat. Ad nostra autem tempora propagata, cum eo, quod in eodem genere ad observationem septimi diei, ac præcipue ex usu Judæorum, etiamnum fieri oculis atque auribus ipsi nostris certi esse possumus, eadem convenire debebit, si recte caput seriei ipsum a principio constitutum sit. Sin minus, et variationi locus in decursu ejusdem patefactus erit; et variatum, erroris aliquid in capite cycli constituendo admissum esse, (nisi interea explanari possit, atque ab aliqua extrinsecus caussa profectum, unde per accidens tantum factum esse constet, demonstrari,) argumento fuerit, necesse est.

Quod maximum autem est, a nemine tamen, quod nos sciamus, pro rei ipsius momento, antehac investigatum et exploratum; anni civilis antiquissima forma, quæ olim apud orbem terrarum universum una atque eadem obtinebat, atque apud nonnullas nationes nunc cummaxime obtinet; annus ille inquam, e kalendariis veterrimis et nuperrimis inter se collatis omnibus eruendus, et ordinandus, et revolvendus, nisi magnopere falsi sumus, citra rerum humanarum principium nusquam consistet; sed ad mundi natales ipsos quasi filo perpetuo, nec minus certo quam Ariadneo illo,

per omnes amfractus, labyrinthos, et tenebras anteacti temporis, recta ducere reperietur. Sed de his in præsenti satis. Nunc eo unde digressi sumus revertamur.

Cum feriis hebdomadis, atque in primis cum diei septimi rotatione ac circulo, Judæis, si quibus aliis, per totum anni sui decursum res vel maxima erat. Itaque ergo hujus circuitionis apud Kalendarium nostrum immemores facti, merito in magnæ securitatis, vel in magnæ alucinationis, sive *ἀβλεψίας*, crimen incidissemus. Curæ igitur nobis fuit, per universum ejusdem contextum, neomenias mensis principalis Nisan, et statos reliquos solennitatum dies, non tantum in epochis suis Julianis, sed in feriis quoque hebdomadis denotare. Quem ad finem et LITTERÆ DOMINICALIS cyclum, quem Solarem chronologi vocant, pro annis expansis, una cum neomeniis istis ac diebus istis, perpetuo exhibemus: qui tamen non idem est qui nomine eo vulgo audit, sed idem a capite certiore, ut nobis videtur, arcessitus, et de tempore in tempus, ut nycthemerorum æqualitas apud annum civilem ad easdem prorsus rationes apud annum solarem ac verum, quibus ab initio directa erat, usque ad finem constaret, postea correctus ac restitutus: non desultorie tamen, nec temere, sed certa quadam lege, et nullo non tempore eadem atque unius formæ. Nam principium seu caput hujus cycli ad diem illum constituimus, quem mundi quoque natalem, ex concurrentibus quas superius diximus rationibus, nos quidem judicamus: qui si revera fuerit, idem decursus etiam dierum et noctium per septimanas dimetiendorum initium fuerit atque origo, necesse est. Inde, quantum ex usu Kalendarii nostri per mille sexcentum annorum spatium foret, decerpsimus; totum autem et integrum

penes nos habemus, ad nostra usque tempora productum: unde ingens accessio ad confirmandam ejus fidem facta est: idem enim de feriis hebdomadæ nunc cummaxime prodit, quod res ipsa fieri ostendit; idem etiam procul dubio nullo non tempore proditurum est, dum res illa et circulus ille eodem quo antehac modo peragi instituet, usque ad finem sæculi.

Superest ut de CYCLO SABBATICO pauca, sed necessaria, proxime dicantur. Cyclus ille sabbaticus apud Kalendarium nostrum locum sibi proprium ac peculiarem non ex rei necessitate vindicat. Sed cum in Pinace nostro, seu Laterculo ipsius Generali, versus seu columna eidem vacaret; magnam autem accessionem ad instrumentum chronologicum nostrum e tali promtuario factum iri; multum luminis in rerum gestarum historiam, ab Eisodo usque ad tempora Evangelii, ex perpetua annorum sabbaticorum notatione ac descriptione derivatum iri; ingentem denique chronologiæ nostræ, tum Veteris tum Novi Testamenti, universæ confirmationem ex hujus in primis testimonii fide proventuram esse, prævideremus: visum est nobis cyclum illum in Kalendarium nostrum omnino admittere.

De epocha tamen admissionis locus dubitandi fuit: an ab anno nimirum debellationis gentium Chanaan jam confectæ, et divisionis terrarum inter victores jam ineundæ, an septem posterius annis, commune omnium cyclorum sabbaticorum caput rectius arcesseretur. Eodem recidisset, quod ad annos ejusmodi ipsos, utrumvis prælatum esset: nam debellatio ista infra sex annos et sex menses ab Eisodo nondum confecta est; terrarum autem inter victores divisio nisi cum septimo ab eadem, auctumno ineunte, nondum fieri cœpta. Numerus ipse annorum sabbaticorum uno minor aut uno major proditurus

erat. Maluimus tamen a priore: nam debellandarum gentium finis jam factus, dividendarum autem terrarum negotium jam initum, σαββατισμὸς quidam erat; præsertim qui cum septimo ab ingressu anno, et cum septimo ejusdem mense concurrere repertus sit. Si cui aliter videatur, facile est illi cyclorum sabbaticorum nostrorum seriem septem annis retardare, et numeros ejusmodi nostros unitate minores supponere.

Intelligat igitur lector, Kalendarii nostri epocham, A. CH. N. 1511, Aprilis 7, una cum medio fere puncto anni *tertii* cycli sabbatici *secundi* initium capere: ab eo usque tempore exorsum, nullum esse sabbaticum annum, de quo satis certis sui testimoniis constare possit, cui tempore suo atque ordine suo locum apud cyclos nostros proprium ac debitum, non ostendat. Et quamvis, pro intervallo temporis universo per quod extenduntur, perpauci sint ejusmodi anni, tamen vel unus, cujus auctoritas satis stabilita sit, instar omnium esse potest, et fidem pro universis præstare. Quales sunt, cxxxiii noster, A. CH. N. 590–589, Jeremiæ prophetæ testimonio confirmatus: cxciv, A. CH. N. 163–162, et cxcviii, A. CH. N. 135–134, uterque fide libri primi Maccabæorum, et Josephi, subnixus: ccxii, A. CH. N. 37–36, et ccxiv, A. CH. N. 23–22, unius Josephi testimonio commendati: et omnium pæne ultimus noster, ccxxvii, A. D. 69–70, qui ex traditione Judæorum quidem, sed constanti, probabili, et certa innotuit; et cum ipsis Hierosolymæ exscidiis concurrere deprehensus est: cujus, et templi ejus ante ipsam, supremum diem, cum in exitu annus sabbaticus esset, illuxisse, omnes eorum magistri uno ore produnt. Et sane, templi supremus dies, A. D. 70. Ab 7, Augusti 2 erat: Hierosolymæ, Elul 8, Septembris 1: Tisri autem 1, quando annus ille sabbaticus de more exiturus erat,

Septembris 24. Unde verissime traditum fuerit, utrumque excidisse, cum in exitu annus sabbaticus cummaxime esset.

De anno sabbatico cxvi nostro, A. CH. N. 709–708, tametsi sabbaticum fuisse certissimum judicamus, tamen an verbis Isaiæ ad Hezekiam regem idem innueretur [e], quæ communis fere chronologorum sententia, et nostra ipsorum aliquando fuit, dubitandi occasio postea nobis subnata est: cujus gratia, inter annos sabbaticos, qui testimonio quodam extra seipsos confirmantur, hunc potissimum recensere noluimus.

Alii ejusmodi anni sunt, de quibus, ex probabilitatis rationibus, sabbaticos fuisse certiores fieri possumus. Nonnulli cum ejusmodi prærogativa quadam commendati sese obferunt, ut infra contradictionis fines subsistant; id est, sementis vel messis vel vindemiæ indicia quædam vel ante se vel post se habeant, quæ tamen ad annum cycli sextum exeuntem, vel ad primum ineuntem, attentius considerantibus, pertinere reperiantur; idque non semel vel iterum tantum sed sæpius: quod haud scimus an de ullo alio ejusmodi cyclo constanter prædicari possit. Omnibus annis sabbaticis, de quibus aliquid proprium ac notatu dignum compertum sit, asterisci nota præfigitur. Eorum summa ad xx amplius adscendit.

De cetero—primus LATERCULI nostri GENERALIS, seu PINACIS, versus CYCLUM SABBATICUM continet: secundus, CYCLUM METONICUM cujusvis periodi labentem: tertius, quartus, ac quintus annos PERIODI JULIANÆ, annos MUNDI, (omnes ab anno A. CH. N. 4004 arcessitos,)

[e] Isaiæ xxxvii. 30. 2 Regum xix. 29.

et annos ante vel post NATUM CHRISTUM: sextus, cyclum LITTERÆ DOMINICALIS, de quo supra: septimus, NEOMENIAS omnes mensis NISAN, cum FERIIS hebdomadis quibus ineant: octavus, PASCHATIS statos dies, et FERIAS suas: nonus, PENTECOSTES statos dies, et FERIAS suas: decimus, SCENOPEGIÆ, UMBRACULORUM, sive TABERNACULORUM statos dies, et FERIAS suas: omnes ab initio statim usque ad finem Kalendarii in annis expansis.

Atque hæ quidem feriæ Judæis a principio, sicuti nemini non notum, observandæ erant. Procedente tempore, et de festo Sortium, seu Purim, undecimus Kalendarii nostri versus, et de festo Dedicationis, sive Encæniorum, duodecimus, idem prodit. Et Sortium quidem festivitatis institutionem, satis certis, ut speramus, argumentis docti, in tempora Artaxerxis Longimani, atque annum ejusdem xiii exeuntem, A. CH. N. 451, conjecimus: ita ut eo ipso anno Adar Judaïci 14 in Martii 4, feriam 1, Adar 15 in Martii 5, feriam 2, inciderit; (duos illos dies, quibus Judæi, debellatis et die perendino, Adar 13, Martii 3, feria 7, et postridie, partim apud metropolim imperii, partim apud provincias hostibus, a periculo tandem liberi adquiescebant;) Adar autem 16, Martii 6, feria 3, in ejusdem rei perpetuam memoriam, institutum sit Sortium festum. Itaque festum Purim proprie dictum, anno proximo, A. CH. N. 450, Artaxerxis xiv, Adar Judaïci 14, Februarii nostri 21, feria hebdomadæ quinta, primum ex ordine haberi debuerit.

Festum Dedicationis, sive Encæniorum, sive Luminum, (nam omnibus hisce nominibus appellatur,) tempore Antiochi Epiphanis, A. CH. N. 165, institutum constat; quando Chisleu 25, qui primus ejus dies et tum et

perpetuo deinceps futurus erat, in Novembris Juliani 24, feriam 6, incidebat: sicut tribus antea annis, A. CH. N. 168, cum desecratio templi atque altaris cummaxime fiebat, in Novembris 27, feriam 5, inciderat.

Nullus igitur status et festus ex observatione Judæorum dies est, exceptis tantum neomeniis mensium, (omnium præter Nisan,) quem Kalendarium nostrum in LATERCULO seu PINACE hoc generali descriptum, per mille sexcentos et quatuor annos, pro annis expansis, et conceptis terminis tum epocharum Julianarum tum feriarum hebdomadis, non exhibeat: neomeniæ autem illæ reliquorum mensium simul et Nisan, cum characteribus suis, pro annis itidem singulis, e TABULIS illis alteris septem, quas insuper eum in finem adornandas curavimus, facillime arcessi possunt.

Patet etiam ex inspectione Laterculi, ferias Paschatis omni prorsus tempore cum feriis neomeniarum mensis Nisan easdem esse: ferias Pentecostes biduo iisdem tardiores: ferias Scenopegiæ triduo: ferias Dedicationis easdem semper quæ et Pentecostes: ferias Purim seu Sortium, apud annos communes Julianos, quando Sebat noster dierum 29, easdem quæ Dedicationis vel Pentecostes; apud annos bissextos Julianos, quibus Sebat dierum 30, easdem quæ Scenopegiæ. Omnes autem, præter neomenias Nisan apud LATERCULUM Kalendarii generalem, et neomenias mensium universas apud TABULAS sex illas alteras nostras, ad horam sextam pomeridianam *exeuntes* proponuntur: neomeniæ tantum illæ, sive apud Kalendarium sive extra, ad horam eandem *ineuntes*. Quod diligenter memoria tenendum. Verum hæc quidem omnia, etsi et monitu semel et postea scitu necessaria, tamen non istius per se momenti sunt, ut in iis consulto moremur.

De festo autem Purim disceptatio singularis institui potest. Locum enim apud Kalendarium sacrum ab initio statim sortitum est, qui intercalationi subinde faciendæ perpetuo destinatur. Jam vero et mensis intercalaris ipse, Veadar; id est quasi *alter* Adar. Merito igitur dubitari atque inquiri potest, in hujusmodi annis, De festo Purim quid observandum? utrum mensi suo, Adar priori, sicut antea, vindicandum, an in mensem sequentem, Adar posteriorem seu Veadar, transferendum?

Apud recentes Judæos consuetudo obtinet, ut singulis annis embolimæis suis duplex Purim constituant, unum et prius mense stato Adar, alterum et posterius mense geminato Veadar. Quo in genere an majores suos sibi præeuntes habuerint, non satis nobis liquet: nullum enim duplicis hujus unius festi Purim observationis exemplum, de antiquo, quod nos quidem sciamus, proditum, exstat. Quod autem præterea apud eosdem usu factum esse dicitur, ut mense ordinario Adar præludia quædam festi, mense extraordinario Veadar festum ipsum observent; id adeo præpostera ratione et contra rerum naturam fieri videtur, ut de priscis Judæis ad recentiores idem derivatum esse posse, nobismet persuadere nequeamus.

Quod ad solis quidem et lunæ rationes, consentaneum videtur, ut apud omne kalendarium lunare mensis embolimæus, seu supplementarius, unde anni lunaris ad solarem certis ac statis temporibus æquatio conficitur; in ejus mensis locum suffectus esse existimetur, qui alio tempore mensium agmen claudit; id est, quem mensis intercalaris subsequitur. Itaque, secundum Macrobium, omni intercalationi extremum anni tempus justissime deputatum; atque apud omne pæne kalendarium lunare

ultimus anni mensis geminatus, intercalaris ipse fit: cujus generis, apud Athenienses, Posideon secundus, apud Syro-Macedonas, Hyperberetæus secundus erat, neque apud Judæos tantum, Adar secundus.

De solennibus autem atque observationibus, pro kalendarii ejusmodi decursu, per singula ipsius tempora descriptis atque ordinatis, alia prorsus quæstio. Solennitates enim illæ, atque observationes illæ, mensium quorundam, et dierum mensium quorundam jam inde a principio mancipes factæ, nunquam postea de possessione sua, nisi perversis et confusis inter se omnium rationibus, deturbari queunt. Sin minus, quid ni et Pascha de mense suo Nisan in mensem qui Nisan proxime sequitur, Jar, de tempore in tempus migraret? quid ni Pentecoste de Sivan in Thamuz, Scenopegia de Tisri in Marchesvan, subinde desultum faceret? Quod si temerarium prorsus et præposterum, de ceteris observationibus positum; cur unum ex omnibus Purim de Adar in Veadar, per intervalla licet, tamen in alienum sibi locum migrare coactum sit?

Nam si anni tempestates, quod ad feriarum inter se successionem, et singularum positionem pertinet, respexeris; non temporum anni quorundam, de sole pendentium, sed mensium quorundam lunarium, qui in tempora illa casuri erant, observationes eæ a principio propriæ factæ sunt: menses autem etiam lunares apud anni lunaris formam illam quæ *Lunæsolaris* vocatur, locum sibi a principio destinatum intra certos limites perpetuo postea observant. Itaque nihil mutationis, seu potius perversitatis, commutandis inter se observationibus singulis dicatis, hoc nomine saltem necessarium esse, omnino constare potest. Neque enim minus stato tempore suo, ad citimum sui terminum, quam ad extremum,

etsi mense lunari solido ab invicem distantes, celebratum Pascha fiebat.

Si ordinem mensium inter se, et decursum spectas; in duodecimum mensem ab initio festum Sortium conjectum est, quemadmodum Pascha in primum, Pentecoste in tertium, Scenopegia in septimum. Nullo autem anno non duodecimus Adar; non minus quam Nisan non primus. Tertiusdecimus sive embolimæus, annis quibusdam, mensis, nomine quidem tenus Veadar, revera autem Adar ipse non est; nisi qui tertiusdecimus sit, idem et duodecimus esse potest. Neque tertiusdecimus mensis, quia in annis ejusmodi annum constituit seu complet, magis eo nomine idem ac duodecimus anni exeuntis est, quam ac primus anni ineuntis; ad quorum utrumque parem rationem obtinet. Immo potius initium anni multo magis in ordinem cogit, nimis in se ipsum inclinatum, quam extremum ejusdem, retractum, in sedem suam restituit.

Per accidens quidem factum fuerit, si fortuitum dici potest, quod procul dubio numine Divino id consulto agente ita factum est, per accidens tamen contigisse dicatur, ut festum Purim in Adar potissimum mensem conjiciendum esset: conjectum tamen in ipsum, atque huic uni mensi statim a principio contributum, ejusdem perpetuis postea temporibus proprium ac peculiare factum est, eadem prorsus ratione, qua et Pascha Nisan; quo mense primum sub exitu ex Ægypto ut hoc quoque celebraretur contigit. Non possumus igitur nobismet persuadere, quin binos illos dies, de principe Purim observatos, mensis duodecimi scilicet 14 et 15, eandem ad observationem perpetuo postea, apud priscos Judæos saltem, destinatos esse credamus. Observatio autem illa alterius Purim, ex Veadar cum Adar, tanquam uno

quodam atque individuo mense, perperam confuso, orta esse potest: cujusmodi confusioni etiam ex nominum Adar et Veadar inter se cognatione locus datus esset. Quod si cognationis illius gratia, mensis embolimæi Veadar in annis intercalaribus ratio quædam extra ordinem eodem in genere habenda erat; honos tamen ad Adar a principio destinatus, non ab eodem tollendus totus, atque in Veadar conferendus, sed ad summum cum Veadar communicandus tantum, et partiendus fuerit: ita ut festum in Adar, mense suo, quibuscunque annis pariter observaretur, embolimæis, in Veadar, si ita libuisset, instauraretur. Quod contra a Judæis recentibus, et nobis quidem judicibus, præpostere prorsus ac perverse fit; quasi ominis gratia, pauca quædam in Adar ad festum præludentibus, festum ipsum plenum ac solidum in Veadar differentibus.

Præmissis igitur et conclusis omnibus, quibus ad explanationem Kalendarii nostri opus erat; superest ut exempla quædam, unde de fide ejus judicium instituatur, coram legentibus adlegentur: quorum magnam copiam penes nos habemus, pauca tamen tantum, in specimen atque in exemplar ceterorum, de pluribus libasse, præsentis temporis rationibus satisfecerit. Quarum etiam caussa, non ab ulteriore epocha quam Templi prioris erectione, hanc exemplorum recensionem repetere in animo est; etsi a capite usque Kalendarii arcessi et repeti, modo operæ pretium visum esset, poterat.

i. Jacta sunt Templi prioris fundamenta mensis secundi, id est Zif sacri, Jar autem Chaldaïci, die 2, A. CH. N. 1011. Quod sæpenumero nobis ut miraremur contigit: die secundo nimirum mensis qui instabat, non autem primo, factum. Neque enim ex neomeniarum

consecratione id profluere potuisse: quarum nullæ, nisi kalendæ Tisri, atque eædem festi Clangoris Tubarum status dies, tanquam sabbatum quiete transigendæ erant. Citra legis autem auctoritatem et præscriptum, singulas mensium neomenias ex usu atque observatione sabbaticas constituisse; id sane otiosos et vacantes per annum totum dies, pro vitæ domesticæ et quotidianæ utilitatibus nimium quantum sine caussa adauxisset. At enim inspecto Kalendario nostro, patuit ejus rei caussa. Anno nimirum A. CH. N. 1011, neomenia Nisan Aprilis 1, feria 6: ergo neomenia Jar Aprilis 30, feria 7; id est, dies sabbati ipse. Postero igitur die, Zif vel Jar 2, Maii 1, feria 1, quum primum licuit, jacta sunt Templi fundamenta. Confirmatur etiam ab hoc exemplo, Nisan mensem, apud Kalendarium sacrum omnium primum, temporibus Salomonis dierum undetriginta, non dierum triginta fuisse.

Templi posterioris fundamenta mense secundo quoque, A. CH. N. 535, jacta esse, tradit Liber Ezræ canonicus: die insuper ejusdem secundo, tradit Ezræ Liber Primus atque idem apocryphus. Quod sive revera factum, sive ab ipso Pseudo-Ezra excogitatum, tamen de imitatione ejus, quod circa Templum primum nunc ipsum gestum est, vel factum unice, vel excogitatum, opinati simus. Jar autem 2, A. CH. N. 535, in Aprilis 18, feriam 5, incidit.

ii. Cærimoniæ quæ inter dedicandum Templum prius, jam ad umbilicum pæne perductum, factæ sunt, omnes a mensis septimi, Ethanim sacri, Tisri Chaldaïci 9, Septembris Juliani 16, feria 1, A. CH. N. 1004, exorsæ, usque ad ejusdem 23, Septembris 30, feriam 1, cum primum dimissus est populus, continuatæ sunt. Dedicatio ipsa ejusdem die 15, Septembris 22, feria 7, festi Scenopegiæ

die primo, cummaxime facta est. Ita dedicatio Templi, in universum, feria 1 inchoata, feria 1 absoluta est. Ministratio autem in eodem, si die dedicationis ipso primum instituta est, feria 7 initium sumserit.

iii. Dedicatio Altaris schismatici, post apostasiam suam consummatam, ab Hieroboamo, primo x tribuum rege, et primus festi dies, ab ipso ad instar festi Scenopegiæ sacri instituti, in mensis octavi, Bul sacri, Marchesvan Chaldaïci, 15, A. CH. N. 974, teste Scriptura, incidit: qui dies, apud Kalendarium nostrum, Octobris Juliani 19, feria 7 erat. Ergo die sabbati hæc dedicatio potissimum facta. Ad hunc igitur diem pertinent omnia, quæ Libro Regum I, capite xiii, de hac re scriptis mandata reperiuntur.

iv. Testatur de se Amos propheta, i. 1, vocationem sui ad ministerium propheticum regnante apud Judam Uzzia, apud Israëlem Hieroboamo, filio Joasi, duobus ante terræ motum quendam annis, contigisse: de quo terræ motu, tanquam sui generis maxime memorabili quodam, et temporibus iisdem facto, etsi trecentis ferme postea annis etiam Zacharias, xiv. 5. Qui præterea terræ motus ut eo temporis articulo eventurus esset, quo sol circa meridiem diei eclipsim pateretur, ex eodem Amos, viii. 8–10, ix. 5, haud obscure colligi potest.

Percensis igitur, pro spatio temporis illo, quod regno Uzziæ et regno Hieroboami, inter se comparatis, parallelum incedit, Pingreii Tabulis Eclipticis; nulla tam distincte notanda occurrit, quam eclipsis illa solis, quæ Augusti 6, 9. 30′ A. M. pro meridiano Lutetiæ Parisiorum, et 11. 42′ A. M. pro meridiano Hierosolymæ, A. CH. N. 803, contigerit. Eclipsis ista, pro regionibus

quæ vix ultra quinque gradus a Judæa, orientem versus, remotæ erant, paulo post meridiem centralis facta est: ergo et apud Judæam, circiter idem tempus, grandis admodum eadem et terrifica fuerit necesse est. Memoriæ porro ab antiquis proditum est, e terræ motibus, qui inter diem fierent, maximos eos esse, qui circa meridiem acciderent. Observatum est etiam, tum solis tum lunæ defectu, terræ motus fieri solitos [f].

Hinc adeo pendet et terræ motus illius, uti nobis videtur, epocha, atque Amos prophetæ chronologia; de sedecim prophetis, quorum suis libris consignata Vaticinia exstant, si unum Jonam exceperis, antiquissimi. Etenim Augusti 6, A. CH. N. 803, secundum Kalendarium nostrum, in Elul Judaïci 1, feriam 6, anno Uzziæ regis quinto exeunte, incidit. Ergo circa idem tempus ante biennium vocatus Amos; et forsan eo ipso die, Elul 1, Augusti 28, feria 5, A. CH. N. 805, ejusdem regis anno tertio exeunte. Quo maxime tempore, uti ipse de se testatur, vii. 14, 15, et armentarius ipse armenta sequebatur, et apud campos agens sycomoros in campis vellicando, seu carpendo, vindemiabat. Armenta autem in Judæa toto mense Augusti adhuc in campis pasci et errare solere; sycomoros autem, quæ testibus antiquis, inter vindemias cujuscunque generis, tamquam primitiæ, agmen ducebant, de die Augusti 28 ad vellicandum seu carpendum, et jam antea, maturas factas esse, nihil est quod probare laboremus *.

* Καὶ Νίκανδρος δὲ, ἐν Γεωργικοῖς, ἐμφανίζει καὶ ὅτι πρότερον τῶν ἄλλων ἀκροδρύων φαίνεται, μορέην τε καλῶν τὸ δένδρον ἀεὶ, ὡς καὶ οἱ Ἀλεξανδρεῖς.—Καὶ μορέης, ἣ παισὶ πέλει μείλιγμα νέοισι, | πρῶτον ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς ἡδεῖαν ὀπώρην. Athenæus, ii. 35–37.

Columella, De Re Rustica, x: De Cultu Hortorum, 400. Cum Canis Erigones flagrans Hyperionis æstu | Arboreos aperit fœtus, cumulataque moris | Candida sanguineo manat fiscella

f Plin. H. N. ii. 82.

v. In vetere Judæorum kalendario, ad diem mensis quinti, Ab, 18, jejunium notatum reperitur, propter exstinctam ætate Ahaz regis lucernam vespertinam. Tempus exstinctionis hujus idem quod et Templi ab eodem Ahaz occlusi; id est, secundum nos, A. CH. N. 738. A. CH. N. 738, pro Kalendario nostro, Ab 18 Julii 27, feria 7. Itaque occlusum est Templum, exstincta lucerna, atque interruptis vel sublatis, atque alio translatis, sacris ejus omnibus, die sabbati.

vi. Regno ad Hezekiam delato, reseratas Templi fores, et repurgandi ejusdem initium factum esse mense primo, die primo; repurgationem autem perfectam die sextodecimo, liquido tradit Scriptura. Quæ die postero insecuta sunt, tantum non verbis conceptis diem sabbati produnt. Ergo anno Hezekiæ primo, id est, secundum nos, A. CH. N. 724, Nisan 1 feria 5; Nisan 16 feria 6: Nisan 17 feria 7. Ostendit Kalendarium nostrum, hoc ipso anno, Nisan 1 Aprilis 8, feriam 5; Nisan 16 Aprilis 23, feriam 6; Nisan 17 Aprilis 24, feriam 7.

vii. Miraculum illud alterum, quod de sole regnante Hezekia factum, anno ejusdem 15, A. CH. N. 710, secundum nos, factum est. Diem miraculi vel solstitialem ipsum pro climate Judææ, vel circa solstitium quendam, quando dies longissimus fuerit, exstitisse, solidis satis rationibus nobismet persuasum habemus: eundem vel triduo ante sabbatum, vel triduo ante neomeniam men-

cruore, | Tum præcox bifera descendit ab arbore ficus.

Sycomorus autem idcirco ita vocata est, quia partim mori partim ficus naturam ac speciem repræsentabat. Secundum Columellam, xi. 2, ortus Caniculæ ad vii Kal. Augusti, id est Julii 26, statuendus est. Ergo ab hoc usque tempore, pro climate Italiæ, ne dicamus pro climate Judææ, maturi ad legendum sive mori, sive sycomori, sive ficus sylvestris, fructus.

Cf. et Theophrastum, De Caussis Plantarum, i. 21. et Plin. H. N. xv. 27: xvi. 34. 41. 51.

sis cujusdam, vel triduo ante utrumque, excidisse, de concurrentibus nonnullis τῶν κύκλῳ indiciis, præterea colligendum esse censemus. Id quod mirum in modum a Kalendario nostro confirmatur.

Etenim A. CH. N. 710, Sivan Judaïci 28, Junii Juliani 28, feria 5, omnes inter se concurrebant. Dies autem solstitii æstivi pro climate Judææ, A. CH. N. 710, serius quam Julii 1 excidere non potuit; id quod ab amico quodam nostro, harum doctrinarum peritissimo, docti sumus. Ergo si miraculum illud de sole Junii 28 factum est, et die longissimo quodam, pro climate isto, (nam complures sunt, circa eandem anni tempestatem una excidentes,) factum fuerit; et mense Sivan exeunte, (die enim ipsius penultimo;) et feria hebdomadæ quinta, triduo ante diem hebdomadæ septimum, pro computi ratione Scripturæ usitatissima, et neomeniam mensis Thamuz, utrumque die perendino, Junii 30, instituturum: quando et Hezekiæ, regi officiorum ejusmodi et alias et tunc cummaxime observantissimo, Templum de more adeundi necessitas non poterat non incumbere.

viii. Combustio illa voluminis a Jeremia propheta Dei jussu dictati, et per Baruchum scribam exarati, a rege Jehoiakim regni sui 5, id est, secundum nos, A. CH. N. 605, facta est: quo tempore, nonus aderat mensis, id est, Chisleu inferioris ævi Chaldaïcus; apud solarium hybernum agebat rex; ignis autem super foco accensus erat. Quæ omnia aut Novembrem Julianum exeuntem, aut Decembrem ineuntem, ex testimonio itinerariorum scriptorum, eorumdemque αὐτοπτῶν, pro climate isto innuunt. Instabat præterea tunc cummaxime jejunium; non statum illud quidem, sed conceptivum atque indictivum. Dies autem hebdo-

madæ, jejuniis inter Judæos inferioris saltem ævi, et forsan de more majorum, dicatos, secundum fuisse et quintum potissimum, memoriæ traditum. Jam vero, apud vetus Judæorum kalendarium, jejunium, propter hoc factum regis sui Jehoiakim, ad Chisleu 28 notatum exstat. Quæ omnia mirum in modum a Kalendario nostro illustrantur; secundum quod, Chisleu Judaïci 28, Decembris Juliani 1, et feria 5, A. CH. N. 605, idem plane sunt.

ix. Obsidio Hierosolymæ a Nebuchadnezzar rege mense decimo, die decimo, A. CH. N. 590, institui cœpta est: id est, secundum Kalendarium nostrum, Tebeth 10, Decembris 26, feria 6. Capta est eadem, perrupto primum muro, mense quarto, die nono, A. CH. N. 588: id est, Thamuz 9, Julii 9, feria 7. Ita feria 6 obsideri cœpta Hierosolyma, feria 7 capta. Postridie, Thamuz 10, Julii 10, feria 1, captivus factus et Zedekias rex. Mense uno serius, mense quinto, die septimo (ita enim statuendum, non die nono) id est Ab 7, Augusti 6, feria 7, excisum et desolatum est Templum. Ita feria 1 dedicari cœptum est Templum; feria 7 desolatum: feria 1 inchoata est apud ipsum res liturgica sacra; feria 7 exstincta. Quæ omnia et de Templo posteriore pari prorsus ratione obtinuere. Panemi enim, seu Thamuz, 17, Julii 13, feria 1, A. D. 70, cessasse juge sacrificium primum compertum est; Ab autem 7, Augusti 2, feria 7, conflagravit postea Templum.

x. Regno Chaldæorum ad Euil-Merodach delato, liberatus est e carcere Jeconias mensis duodecimi, id est Adar, 25, seu potius 27, (nam utrumque legitur) A. CH. N. 561. Dies ille, pro Kalendario nostro, Martii 3, feria 4. Itaque ante hunc saltem diem (neque tamen diu ante) A. CH. N. 561, mortuus fuerit

pater Euil-Merodach, Nebuchadnezzar rex; quod eo facit ut canonis apud chronologos celeberrimi, sive astronomici sive Ptolemaïci dicendi, cum litteris sacris concentus luculentissime demonstretur.

xi. Reversis in patriam Judæis, A. CH. N. 536, restitutum est in basin suam altare, et redintegratum juge sacrificium, ipsis kalendis Tisri; id est, Septembris Juliani 23, feria 1. Ergo feria 7 exstincta in tempus res liturgica sacra: feria 1 instaurata. Feria 1 in principio fieri cœptum est juge sacrificium; feria 7 interruptum: feria 1 de novo restitutum. Post feriam 7 postea idem rursus exstinctum, et penitus sublatum est.

xii. Jejunium Danielis prophetæ, de quo ipse x. 1. 2–4, unius et viginti dierum, tertio Cyri regis anno, Nisan 3, feria 1, inchoatum, Nisan 24, feria 1, terminatum est: id quod plane de verbis ipsius colligendum. Ergo Nisan 3 et Nisan 24, tertio Cyri, uterque feria 1. Tertius ille Cyri, ut nobis aliunde satis constat, de tertio Cyri exeunte, A. CH. N. 533, non de tertio ineunte, A. CH. N. 534, intelligendus est. Jam vero, A. CH. N. 533, pro Kalendario nostro, Nisan 3 Martii 29, feria 1: Nisan 24 Aprilis 19, feria itidem 1. Hinc igitur pendent quæcunque apud Danielem, x. xi. xii. scripta exstant: omnia enim hoc ipso die, Nisan 24, Aprilis 19, feria 1, A. CH. N. 533, revelata sunt.

xiii. Desecratio altaris ab Antiocho Epiphane, A. CH. N. 168, Chisleu 25, id est, Novembris 27, feria 5, fieri cœpta est. Repurgatio et restitutio ejusdem a Juda Maccabæo, A. CH. N. 165, Chisleu 25, Novembris 24, feria 6. Ita feria 5 profanatum est altare; feria 6 de novo sanctificatum. Hinc etiam ratio reddi potest, cur festum Dedicationis, Encæniorum, sive Luminum,

id temporis ad commemorandam hanc ipsam restitutionem institutum, *octo* diebus continuis, non autem *septem* tantum, (quod de exemplo festi Azymorum ac festi Scenopegiæ potius exspectandum erat,) constare factum sit. Quia nimirum, ab hoc die, restitutionis principe, Chisleu 25, Novembris 24, feria 6, ad proximum usque sabbatum, unde rei liturgicæ circa altare obeundæ decursus primum ordinatim procedere poterat, Tebeth scilicet 4, Decembris 2, octo solidi dies in medio erant. Octo igitur diebus festum hoc Dedicationis principale ex rei necessitate celebratum est. Quod autem de festo ejusmodi principali obtinuerat, idem ceteris atque insecutis omnibus legem fixit.

xiv. Constat, ex utrovis Maccabæorum libro, pulsum et profligatum a Juda Maccabæo Nicanorem fuisse, Adar 13, A. CH. N. 161. Colligi autem præterea potest ex secundo, etiam die sabbati; quem Nicanor ille de consulto ad pugnam conserendam elegerat. Itaque A. CH. N. 161, Adar 13 dies sabbati. Monstrat Kalendarium nostrum A. CH. N. 161, Adar 13 Martii 6, feriam 7.

xv. Tradunt Nicolaus Damascenus et Josephus, Antiochum Pium, seu Sideten, Hyrcano Judæorum regi, in expeditione Parthica comiti ac socio suo, morem gerentem, ad flumen Lycum, Assyriæ vel Armeniæ, cum exercitu biduo apud stativa egisse: propter sabbatum scilicet, ac Pentecosten, quæ sabbatum subsequebatur. Itaque eo anno, Sivan 6, Pentecostes status dies, feria 1. De anno ambigi potest: num ad A. CH. N. 133, an ad A. CH. N. 132, an ad A. CH. N. 131, rectius statui possit. Excluditur tamen postremus, quia Antiochi ipsius emortualis erat; cujus mors ineunte cummaxime vere, id est ante Pentecosten, excidit. Inter primum et

secundum, Kalendarium nostrum judicio suo litem dirimere potest: secundum quod, A. CH. N. 133, Sivan 6, Maii 18, feria 2; A. CH. N. 132, Sivan 6, Junii 6, feria 1.

xvi. Memoriæ prodiderunt et Josephus et Strabo, expugnatam et captam a Magno Pompeio Hierosolymam fuisse, A. CH. N. 63, τῇ τῆς νηστείας ἡμέρᾳ, id est Tisri 10, stato jejunii die; de quo loquutio illa, absolute posita, apud Judæos perpetuo intelligenda. Testatur Dio Cassius, die Saturni idem illud factum. Ergo A. CH. N. 63, Tisri 10 dies sabbati. Secundum Kalendarium nostrum, A. CH. N. 63, Tisri 1 Septembris 14, feria 5 erat: ergo, Tisri 10 Septembris 23, feria 7. Proximus igitur dies, quando Pompeii jussu repurgatum est a Levitis Templum, et sacra solennia de novo instaurata, et restitutus Hyrcano Pontificatus, quæ omnia a Josepho traduntur, Ant. xiv. iv. 4. De Bell. i. vii. 6. Tisri 11, Septembris 24, feria 1 erat.

xvii. Permulta de toto temporis intervallo, quod ab anno A. CH. N. 6 usque ad A. D. 75 extenditur, apud Dissertationes nostras scripta, atque uti confidimus demonstrata reperiuntur; ad epochas quasdam Julianas, ad lunares ac Judaïcas easdem, atque ad ferias hebdomadæ cum quibus utræque concurrerint, spectantia: atque in primis, de annis A. CH. N. 6, et 4; de annis P. CH. N. 8, 26, 27, 28, 29, 30, 56, 59, atque ab A. D. 66 usque ad A. D. 75: quæ omnia ab indiciis et testimoniis Kalendarii nostri, (paucis admodum, ac nullius prorsus momenti, exceptis,) mirum in modum et confirmantur et illustrantur; tametsi tunc cummaxime, cum illa commentaremur, Kalendarium illud nostrum adhuc nullum erat; sed ad singulas conclusiones nostras diversa prorsus institutione, et diversa

ratiocinatione, partim Evangeliorum vel Actuum luce præeunte, partim ex Josepho, partim ex rationibus verisimilitudinis ipsis, deducti essemus. Quod nos quidem magno, immo maximo, fidei ejus et veritatis argumento esse ducimus.

xviii. Antiquitates suas Domitiani Cæsaris 13, ætatis suæ 56, se teste condebat Josephus[g]. Domitiani Cæsaris 13 post Septembris 13, A. D. 93, procedere cœpit: natus est autem Josephus[h] Caii Cæsaris 1; id est, post Martii 16, A. D. 37, ante Martii 16, A. D. 38. Collatis igitur inter se indiciis hisce, sequitur post Septembris 13, A. D. 93, ante Martii 16, A. D. 94, Antiquitates suas jam perscripsisse Josephum. Unde A. D. 92 scribendarum earum initium eum fecisse, sin minus certum, probabile tamen et verisimile omnino fit.

Jam vero, de diluvii tempore loquens[i], ac propterea sub ipsum operis principium, Marchesvan Hebraïcum cum Dio Macedone tanquam unum atque idem confert. Kalendarium Syro-Macedonicum penes nos habemus; de quo in capite nostro tertio nonnihil postmodum dicetur. Secundum hoc, A. D. 92, scribendarum Antiquitatum pro conjectura nostra primo, Dius Macedonicus Octobris 20 erat: secundum Kalendarium sacrum nostrum, Marchesvan Hebraïcum item Octobris 20. Itaque optimo jure alter pro altero, tanquam unus prorsus atque idem, usurpari et nominari poterat. Pari ratione et ceteri anni lunaris ac sacri menses cum ceteris anni Syro-Macedonis mensibus inituri simul, eodem anno, et exituri erant. Facile igitur et proclive Josepho erat, Græcarum appellationum ad Græcas Antiquitates suas, pro mensibus patriis ac gentilibus, indi-

g Ant. xx. xi. 2. h Vita, i. i Ant. i. iii. 3.

genti, Xanthicum loco Nisan, (quæ perpetua ejus per operis istius decursum consuetudo,) Artemisium loco Jar, Dæsium pro Sivan, Panemum pro Thamuz, Löum pro Ab, Gorpiæum pro Elul, Hyperberetæum pro Tisri, Apellæum pro Chisleu, Audynæum pro Tebeth, Peritium pro Sebat, Dystrum loco Adar, sibi sumendum atque usurpandum ponere.

Idem loquendi mos, atque eadem procul dubio de caussa ortus, et apud Belli Historiam obtinet. Ad epocham hujus historiæ quod attinet; pro rationibus nostris [k], ante finem belli, A. D. 75, conscripta vel perscripta nondum erat: post biennium, A. D. 77, jam perscripta saltem erat. Probabile igitur judicamus, A. D. 76 conscribi cummaxime cœpisse.

A. D. 76, Xanthicus Macedonicus noster Martii 26 erat; Nisan sacer item Martii 25. Ita die uno tantum inter se distabant. Idem et ceterorum utriusque kalendarii mensium pro eodem anno discrimen. Itaque alteros pro alteris nunc quoque, si opus esset, et nominare et ponere haud immerito poterat Josephus. Quo porro anno bellum ipsum erupit, A. D. 66, Xanthicus Martii 17, Nisan item Martii 16 erat. Idem igitur discriminis inter ipsos, nihil autem amplius, tunc quoque obtinuerit.

Idem Josephus, apud Antiquitates suas [l], de ultima plagarum Ægyptiarum loquens, Nisan Hebraïcum, Xanthicum Macedonem, et Pharmuthi Ægyptium, ad tempus ejusdem definiendum, omnes inter se comparat; id est menses lunares duos, et mensem solarem unum: unde et de mensibus lunaribus fixis, et de mense solari fixo, ad comparationem istiusmodi instituendam,

k Diss. xv. vol. ii. 68–79. App. xvi. vol. iv. Pars i. 66–81.

l ii. xiv. 6.

meminisse eum velle, omnino concludendum est. Nisan igitur et Xanthicus, hic loci, lunæsolaris uterque; Pharmuthi autem, qui utrique confertur, solaris Ægyptius, et fixus fuerit, necesse est. Itaque Pharmuthi Ægyptius, hic loci, non vagus ille, sed Alexandrinus; qui idem solaris et fixus solus erat.

A. D. 92, Nisan sacer a Martii 27, ab hora 6 P. M. ad Martii 28, horam 6 P. M. propagandus erat: Pharmuthi autem Ægyptius et fixus, nullo non anno, Martii 27. Unde A. D. 92, ferme ad amussim quadrarint: siquidem primus Nisan dies, Pharmuthi secundus erat. Merito igitur inter se comparari poterant. Quæ tamen comparatio et sub initium pæne operis instituta reperitur, et de Pharmuthi ac Nisan posita plane singularis obtinet: nullo enim alio loco, nisi memoria falsi sumus, aut idem de Nisan sacro et Pharmuthi Ægyptio repetit, aut consimile aliquid de mense ullo alio lunari ac sacro, et mense ullo alio solari Ægyptio et fixo, tanquam eidem respondente, supponit Josephus. Confirmatur igitur hoc exemplo tum fides Kalendarii nostri, pro A. D. 92, tum epocha conscribendarum Antiquitatum suarum sacrarum a Josepho initii facti, eidem illi anno superius a nobis contributa: id quod non sine caussa nobismet inferre posse videmur.

Atque una cum conditis Josephi Antiquitatibus sacris, Kalendarium nostrum, quod ad annos expansos, exitum suum sortiri passi sumus. Libri enim de Vita, et contra Apionem, post Antiquitates quidem scripti sunt; nullum autem ejusmodi indicium produnt, post A. D. 94, quod a Kalendario nostro illustrari possit. Liber vero de Maccabæis dictus, neque aliquid ejusmodi habet, neque Josepho nisi perperam adscribendus est.

Operæ tamen pretium visum est nobis, alteram Kalendarii ejusdem Partem, compendii seu breviarii instar, in laterculum quendam finalem conjectam, ad nostra usque tempora producere: quod et facillimum factu est, (nam per ipsius quidem genium ac decurrendi legem, ad infinitum usque producatur licet, neque propterea minus vere in fine et summa, quam in principio, temporis cujusvis ad lunæ rationes responderit,) et factum, commodis multis atque utilitatibus (de quibus postmodum nonnihil dicetur) inserviturum esse prævidemus.

KALENDARII SACRI Pars Altera.

Ab A. CH. N. 10. usque ad A. D. 1997.

			Decrementum Epocharum.	Nisan 1.	A. CH. N.	Æquinoc. Verna Media.	Neomeniæ Pasch.		Anno Bissexto.		Termini Paschales.	
A. CH. N. 10	Period. vi	Cyclus i	Dierum v.	Apr. 2	48	Mar. 23	Mar. 5	Apr. 3			Mar. 19	Apr. 17
					A. D. 86	Mar. 22	Mar. 4	Apr. 2			Mar. 18	Apr. 16
A. D. 295	vii	Cyclus i	Dierum vi.	Apr. 1	219	Mar. 21	Mar. 3	Apr. 1			Mar. 17	Apr. 15
					352	Mar. 20	Mar. 2	Mar. 31			Mar. 16	Apr. 14
599	viii	Cyclus i	Dierum vii.	Mar. 31	485	Mar. 19	Mar. 1	Mar. 30			Mar. 15	Apr. 13
					618	Mar. 18	Feb. 28	Mar. 29	Feb. 29	Mar. 29	Mar. 14	Apr. 12
					751	Mar. 17	Feb. 27	Mar. 28	Feb. 28	Mar. 28	Mar. 13	Apr. 11
903	ix	Cyclus i	Dierum viii.	Mar. 30	884	Mar. 16	Feb. 26	Mar. 27	Feb. 27	Mar. 27	Mar. 12	Apr. 10
					1017	Mar. 15	Feb. 25	Mar. 26	Feb. 26	Mar. 26	Mar. 11	Apr. 9
1207	x	Cyclus i	Dierum ix.	Mar. 29	1150	Mar. 14	Feb. 24	Mar. 25	Feb. 25	Mar. 25	Mar. 10	Apr. 8
					1283	Mar. 13	Feb. 23	Mar. 24	Feb. 24	Mar. 24	Mar. 9	Apr. 7
1511	xi	Cyclus i	Dierum x.	Mar. 28	1416	Mar. 12	Feb. 22	Mar. 23	Feb. 23	Mar. 23	Mar. 8	Apr. 6
					1549	Mar. 11	Feb. 21	Mar. 22	Feb. 22	Mar. 22	Mar. 7	Apr. 5
					1682	Mar. 10	Feb. 20	Mar. 21	Feb. 21	Mar. 21	Mar. 6	Apr. 4
1815	xii	Cyclus i	Dierum xi.	Mar. 27	1815	Mar. 9	Feb. 19	Mar. 20	Feb. 20	Mar. 20	Mar. 5	Apr. 3
					1948	Mar. 8	Feb. 18	Mar. 19	Feb. 19	Mar. 19	Mar. 4	Apr. 2

Alterius hujus Kalendarii nostri Partis administratio inspectantibus facile patebit. Etsi enim per Periodos tantum incedat ipsa; tamen ope Partis prioris, quæ cyclos Periodis, annos cyclis, neomenias annis singulis contribuendas, per annos expansos perpetuo exhibet, atque ope Epocharum Decrementi, quod pro singulis postea Periodis statam quandam et fixam rationem observat; expeditissimum est, neomeniam quamvis, ad annum quemvis, a capite ad finem hujus quoque Partis, pertinentem, investigare et constituere. Id quod exemplo quodam clarius fiet. Fingatur enim, scire te velle quoto die mensis nostri quarti, id est Thamuz, novilunium futurum sit, A. D. 1563.

Dispice, primum, Periodum nostram, cui annus ille competit. Periodus ista, Periodus xi nostra est, cujus epocha A. D. 1511.

Dispice, secundo, cyclum novemdecennalem nostrum, Periodi xi nostræ, ad quem idem annus pertinet. Cyclus is iii noster est, cujus epocha A. D. 1549.

Dispice, tertio, cycli hujus annum labentem, in quem annus idem cadit. Annus ille 15 est, A. D. 1563.

Prodit ex his omnibus, secundum Kalendarium nostrum, A. D. 1563, Periodi xi, cycli iii, annus 15.

Adi, quarto, Periodum primam nostram, cyclum ii, annum 15. Excita illinc neomeniam mensis quarti nostri; id est Thamuz. Neomenia illa Thamuz 1, Junii 30, 6 P. M.

Dispice, quinto, Decrementum Epocharum, a Periodo i nostra, ad Periodum xi nostram usque factum.

Decrementum illud apud Partem nostram alteram, pro singulis Periodis, perpetuo descriptum habes. Semper autem quam Periodi labentis numerus unitate minus est. Itaque pro Periodo xi nostra, decrementum epocharum dierum decem erit.

Sexto, et postremo, Pro decremento illo, neomeniam mensis quarti nostri, Periodo i, Cyclo ii, Anno 15, Junii scilicet 30, diebus decem minorem fac: Prodit neomenia mensis quarti nostri, Periodo xi, Cyclo iii, Anno 15, id est A. D. 1563, Junii 30 – 10, sive Junii 20. Quo die et eclipsis solis, pro meridiano Lutetiæ Parisiorum, 3. 30′ P. M. pro meridiano Hierosolymæ, 5. 42′ P. M. ut fieret contigit: unde de vera solis et lunæ conjunctione, eodem ipso die, Junii 20, hora ferme 6 P. M., Thamuz nostri neomenia, securi esse possumus. Vides igitur ex hoc exemplo, quod temere non consulto ab A. D. 1563 desumtum est, post elapsos ter mille septuaginta ac tres a capite suo annos, quanta etiamnum sit fides Kalendarii nostri, et quam prope ad veras lunæ rationes, etiam pro civilibus ac chronologicis suis, incedere pergat. Administrationis autem hujus, cujus rationes exemplo hoc uno illustravimus, methodus eadem, in ceteris ejusdem generis exemplis observata, nunquam fallet.

Primus igitur secundæ hujus Kalendarii nostri partis usus est, quod Menologii cujusdam perpetui vice functura sit: de cujus fide, simul ac ad tempora nostra deventum fuerit, nobismet ipsi testes fieri possumus. Fac enim velle te scire, quoto die mensis Martii, A. D. 1840, novilunium futurum sit. Pro methodo administrationis superius indicata,

A. D. 1840, Periodi xii, Cycli ii, Annus 7.

Decrementum epocharum = 11.

Ergo neomenia mensis Martii, A. D. 1840,
Aprilis 1 — 11, id est Martii 21, 6 P. M.

Martii autem 21, stylo Juliano pro stylo Gregoriano restituto, produnt Hemerologia etiam vulgaria nostra veram lunæ conjunctionem, pro meridiano Grenovici, 3. 20 P. M. pro meridiano Hierosolymæ, 5. 41 P. M. futuram. De stylo autem Juliano in locum styli Gregoriani restituendo; meminisse oportet, post A. D. 1582, stylorum inter se discrimen dierum fuisse decem; post A. D. 1700, dierum undecim; ab A. D. 1800 huc usque dierum esse duodecim; post A. D. 1900, dierum tredecim futurum.

Periculum idem fiat in anno Kalendarii ipsius postremo. Finge te scire velle, quoto die Februarii, A. D. 1997, novilunium futurum sit.

Computus ille, pro rationibus Kalendarii nostri, ab A. D. 1996 procedat necesse est.

A. D. 1996, Periodi xii, Cycli x, Annus 11.
Decrementum epocharum = 11.
Ergo neomenia mensis Februarii, A. D. 1997,
Martii 7 — 11, id est Februarii 24, 6 P. M.

Quo etiam die et eclipsis solis, 1. 30 A. M. pro meridiano Lutetiæ Parisiorum, 3. 42 A. M. pro meridiano Hierosolymæ, id est vera solis et lunæ conjunctio, futura est. Atque idem porro novilunium, etsi in Februarii 24 Juliani cadat, tamen, ratione Æquinoctii vernalis medii, Neomeniarum Paschalium, et Terminorum Paschalium, pro legibus Kalendarii nostri habita, neomeniæ mensis Nisan, mensis nostri Paschalis, stylo quidem vetere, Februarii 24, stylo autem novo, Martii 9, responsurum esse constat.

Secundus igitur, atque huic ipsi Kalendarii nostri

proprietati acceptus ferendus, usus ejusdem futurus est, ut nullo non tempore necessitatibus chronologicis historiæ sive civilis sive ecclesiasticæ, si quando utrivis cum lunæ rationibus negotium intercesserit, subvenire possit. Præcipua autem ac pæne singularis ejusmodi necessitas est de rebus orientalibus, atque ad scriptores Islamicos seu Muhammedicos; apud quos rerum gestarum descriptio, et temporis supputatio omnis ad lunæ fastos, non ad solis dirigitur. Cujusmodi utilitatis, de epocha Æræ apud illos celeberrimæ, Hegiræ dictæ, in Kalendario nostro experimentum fiat licet. Constat siquidem, a mense Arabico lunari primo, id est Muharram, Julio autem nostro, et novilunii die in utrumque simul incidentis, de phasi autem lunæ, pro consuetudine Arabum, dinumerandi, A. D. 622, Æræ illius epocham arcessendam esse. Exploretur igitur mensis Julii, A. D. 622, secundum Kalendarium nostrum neomenia.

A. D. 622, Periodi viii, Cycli ii, Annus 5.
Decrementum epocharum = 7.
Neomenia igitur mensis Julii, Ab nostri, A. D. 622,
Julii 20 − 7, id est Julii 13, 6 P. M.

Novilunium autem verum, pro meridiano Meccæ, horas circiter quatuordecim serius, id est Julii 14, 8. 17 A. M. commissum est. Phasis lunæ vel postridie de nocte, Julii 15, vel die perendino, Julii 16, item de nocte, futura erat. Inde recepta Hegiræ epocha: apud astronomos orientales quidem Julii 15, apud vulgus autem Julii 16.

Maxime autem necessarius, et maxime insignis, ad historiam ecclesiasticam Kalendarii hujusmodi usus est:

præsertim post ortas de Paschatis observatione controversias, quæ innumeris fere cyclis Paschalibus caussam atque originem præbuerunt: de quorum omnium fide et meritis, ope Kalendarii nostri, judicium institui potest.

i. Inter antiquissimos hujus generis cyclos, Pinax Paschalis, sedecennalis, Hippolyti Portuensis episcopi, et martyris, recenseri debet. Epocha ejus,

Luna 14, feria 7, Idus Aprilis, Alexandri Severi Annus 1:
id est, Luna 14, feria 7, Aprilis 13, A. D. 222.

A. D. 222, Periodi vi, Cycli 13, Annus 4.
Decrementum epocharum = 5.
Ergo neomenia Paschalis, A. D. 222, Aprilis 4 – 5,
id est Martii 30, 6 P. M.

Itaque lunæ hujus quartusdecimus dies Aprilis 13 erat. Rectissime igitur, pro Kalendario nostro, hujus cycli caput, A. D. 222, quando et Litt. Dom. F. et Aprilis 13 feria 7 erat, constitutum fuerit. Kalendarium tamen nostrum, pro Periodo vi, Cyclo 13 suo, excessu quodam peccare jam inceperit; qui mox in diem solidum cumulatus fuerit, necesse est. Quod autem sanctus ille episcopus et martyr beatus, proposito hoc Pinace, præterea opinatus est; singulis nempe sedecenniis, vel retro vel porro dinumerandis, ferias ejus, si porro incesseris, ad pridie sui, si retro, ad postridie sui, lunas autem quartasdecimas prorsus in eosdem dies, orbe perpetuo, reversuras; idem illud de feriis quidem hebdomadis obtinere poterat, de lunis autem quartisdecimis ne post exactum primum sedecennium obtenturum erat. A. D. 238, secundæ hujusmodi sedecennitatis primus, Periodi nostræ vi, cycli xiv, Annus primus fuerit; neomenia Paschalis, seu Luna prima, Aprilis 7 – 5, id est Aprilis 2; Luna 14,

Aprilis 16; quæ, pro rationibus Hippolyti, ad Aprilis 13 rursus prodita esse debuerit.

ii. Alius ejusdem generis cyclus Paschalis ab auctore quodam ignoto, Cypriano, episcopo Carthaginis, æquali tantum, 19 post cyclum Hippolyti annis, id est A. D. 241, uti nobis videtur, propositus est. Luna 14 ejusdem princeps pridie Idus Apriles constituta est; id est Aprilis 12, feria 2, A. D. 241.

A. D. 241, Periodi nostræ vi, Cycli xiv, Annus 4.
Decrementum epocharum = 5.
Ergo Luna prima Paschalis nostra, A. D. 241,
Aprilis 4 – 5, id est Martii 30, 6 P. M.
Luna 14, Aprilis 13.

Rectissime igitur, A. D. 241, caput hujus cycli ad Aprilis 12 constitutum fuerit; quod eodem anno, (Litt. Dom. C.) in feriam 2 incidebat. Aprilis 12 enim, non Aprilis 13 (pro kalendario nostro, hoc decursus sui tempore) luna media vera et quartadecima erat. Procedente autem tempore, eidem ac cyclus Hippolyti ejusdem generis peccato hic quoque obnoxius fieret, necesse erat.

iii. Tertius cyclus Paschalis, novemdecennalis tamen non sedecennalis, ab Anatolio, Laodiceæ Syriæ episcopo, propositus est; de cujus epocha, etsi non constet, verisimillimum tamen videtur, ad Lunam i, feriam 7, Martii 22, ipsum secundum auctorem ejus æquinoctii vernalis diem, A. D. 277, constitutam esse.

A. D. 277, Periodi vi nostræ, Cycli xvi, Annus 2.
Decrementum epocharum = 5.
Ergo Luna prima Paschalis nostra, A. D. 277,
Martii 27 – 5, id est Martii 22, 6 P. M.

Recte igitur, pro Kalendario nostro, constitutum hujus

cycli caput. Kalendarium autem nostrum, Periodo vi, Cyclo xvi, diei unius excessu peccet necesse est. De Martii 22, hoc anno secundum Anatolium in diem sabbati incidente, alibi a nobis dictum est [m].

iv. A. D. 457, editus est Victorii Cyclus Paschalis, annorum 532, e numero Aureo 19 et Cyclo Solari 28 inter se ductis conflatus: quo facto et Periodo illi Scaligerianæ, Julianæ dictæ, atque ex iisdem numeris, una cum indictione Romana, 15, inter se ductis, constitutæ, proxime adlusisse visus fuerit. Caput hujus Cycli ab A. D. 28 retro petitum est; prima autem Periodus ad A. D. 559 terminata. Nobis satis est, de A. D. 457, quo anno a Victorio editus est, ad Kalendarium nostrum fidem ejus exigere.

Secundum hunc Canonem igitur, A. D. 457, Pascha ii kal. Aprilis, id est Martii 31, Luna vicesima, celebrandum erat. Ergo Luna Paschalis prima Martii 12.

A. D. 457, Periodi vii nostræ, Cycli ix, Annus 11.

Decrementum epocharum = 6.

Luna prima Paschalis nostra, Martii 18 – 6,

id est Martii 12, 6 P. M.

Quæ fortasse cum Victoriana illa prorsus una atque eadem fuerit.

v. A. D. 525, prodiit Dionysii Exigui Cyclus Paschalis novemdecennalis; cujus, pro regulis a Concilio Niceno constitutis, uti ipse sæpius testatur, citima Paschalis neomenia Martii 8, ultima Aprilis 5 erat.

A. D. 525, pro Kalendario nostro, Periodi vii, Cycli xiii, Annus 3.

[m] Diss. App. Supplem. ii. ad Dissert. xxvii. vol. iv. pars ii. 710 et sqq. Nota.

Decrementum epocharum = 6.
Luna prima Paschalis nostra, A. D. 525,
Martii 16 − 6, id est Martii 10.
Luna 14 eadem, Martii 24.

Jam vero Dionysius, apud Epistolam de ratione Paschæ Secundam suam, hoc ipso anno, Lunam decimam quartam in nonum kalendas Apriles, id est in Martii 24, incidisse testatur. Itaque cycli ipsius caput, unanimiter cum Kalendario nostro, sive A. D. 525 sive A. D. 526, procul dubio constitutum est: A. D. autem 525, post Cyclum xii suum, de fide etiam Kalendarii nostri derogari nonnihil debere, jam sæpius a nobis monitum est.

Alius porro Kalendarii nostri continuati usus, cujus unius gratia ad præsentem usque diem produci meruisset, e kalendarii Judæorum hodierni cum nostro collatione arcessi potest; quod, etsi tercentum fere annis Templi atque Hierosolymæ excisione recentius, tamen usque a natalibus suis Judæorum per orbem terrarum religiosa semper observatione celebratum est: neque ullo alio hodieque utuntur Judæi, neque, prout ipsi testantur, usque ad adventum Messiæ sui, a quo nova omnia exspectant, ullo alio usuri sunt. Idem kalendarium artificii, subtilitatis, atque acuminis nomine simile nihil, in eodem genere, nec secundum habet; omnium ejusmodi monumentorum quæ ingenium humanum vel excogitavit unquam, vel expolivit, facile princeps: adeo ut nemini non admirationem sui extorserit, tam reconditum aliquid, ac supra vulgarem captum, tam elaboratum atque omnibus numeris suis absolutum, Judæis potissimum, hominibus non ad talia natis, excidere potuisse. Unde suspicio vel maxima oriri potest, non de suo a Judæis commentum esse; sed e relliquiis, vestigiis, ac monumentis prisci alicujus

kalendarii, mutatis mutandis tantum, de alieno in usus suos conversum. Habilissimus quidem ad talia, et doctissimus sui temporis astronomus, Addas ille fuerit, seu quis alius, ad quem, chronologorum recentiorum judicio, origo ejus potissimum accepta ferenda est: dubitari tamen merito potest, num omnis omnium hujus temporis habilitas, atque omnes omnium in unum atque idem opus collati sudores, nisi aliquo foris subsidio atque instrumento adjuti, tam perfectum quiddam suo in genere excudere, atque elaborare, potuerint.

Et sane, abstrusas quasdam Lunæ fastorum rationes sapientum principes, gentiles suos, penes se semper habuisse, atque inter se tantum communicasse, haud obscure testatur Maimonides[n]; scriptos et vatum tempore a doctis quibusdam e tribu Issacharis, de re astronomica, libros, idem tradit[o]: qui tametsi ante ætatem ejus intercidissent, tamen aliquando inter suos exstiterint necesse est. Quod maximum autem est, et communis inter se originis, nostro judicio, certissimum documentum; inter Kalendarium nostrum sacrum, et kalendarium Judæorum recens, nihil omnino discriminis, nisi quod per accidens tantum atque e nulla rei necessitate ortum sit, neque nunc obtinet, neque antehac unquam obtinuit. Nunquam Tisri noster a Tisri Judæo, nunquam Nisan noster a Nisan Judæo, per mille quingentos amplius annos, ex quo simul procedere instituerint, ultra diei unius vel ad summum bidui discrimen alienus fuit. Per tres fere tantum caussas jam inde a principio stetit, et nunc cummaxime stat, ne dato quovis tempore Kalendarium nostrum et kalendarium Judæorum hodiernum inter se ad amussim quadrent: diversum scilicet mensium decursus utrisque principium: diversam utrisque mensium de-

[n] De Ratione Intercalandi, xi. §. 4.

[o] Ibid. xvii. §. 25.

currentium magnitudinem ac mensuram: feriarum seu kalendarum Tisri vel Nisan non usitatam utrisque pariter translationem. De quorum singulis pauca dicenda.

Primum, De diverso mensium decursu: principium anni Judæis kalendæ Tisri, nobis, kalendæ Nisan: quod idem tamen priscis Judæis ac nobis fuisse, e suo ipsorum kalendario contra Judæos recentes convinci potest. Apud illos enim, non minus quam apud nos, stato quovis tempore, embolismi locus idem, mensis embolimæi nomen idem; post duodecimum tantum mensem nostrum, sextum ipsorum, utrisque tamen unum atque eumdem Adar. Embolismi autem status locus, apud omne kalendarium lunare, præsertim a principio ejus, anni finem determinat; utcunque, procedente tempore, de mensium inter se ordine ac decursu postea variatum sit: quemadmodum apud Athenienses, post Solonem quidem, Posideon duodecimus, post Metonem, sextus; post utrumque autem geminatus semper intercalaris erat.

Pristinis igitur Judæis, non minus quam nobis, Adar semper ultimus anni mensis, et Nisan semper primus, Tisri autem semper septimus erat. Observatio illa, de altero anni principio, per accidens tantum statim ab initio contigit. Siquidem Exodi tempestate, anni civilis ac popularis, cujus usus tum apud Israëlitas tum apud Ægyptios ex æquo celebratus erat, kalendæ in mensem Septembrem Julianum cummaxime cadebant: refictis de novo, atque in mensem Martium retractis, sub ipsam Exodum kalendis iisdem, tamen antiquæ consuetudinis haud injuria mentio subinde fieri poterat; recente prorsus principiorum anni inter se permutatione, et vigente adhuc veteris observationis memoria. Nam constituto ad kalendas Nisan anni novi principio, veteris ferme ad kalendas Tisri, et septimum postea men-

sem prolatatæ reperiebantur. Adde quod anni naturalis circumscriptio, de intervallo illo, quod inter jacta semina et collectos arborum fructus statum est, intellecta; a mense octavo cum semente semper ineat, intra mensem septimum, post vindemias uniuscujusque generis jam confectas, semper subsistat, necesse est. Quod nostro judicio caussa vel maxima fuerit, cur Exod. xxiii. 16. xxxiv. 22. de exitu anni mentio facta sit. Exitus enim ille cum festo Collectarum, id est Scenopegiæ, jam peracto vel peragendo, id est cum anni vertentis seu naturalis circumscriptione illa, cujus meminimus, jam per orbem suum explicata, uti ex locis illis constat, omnino concurrere supponitur.

Secundo, De diversa mensium mensura: apud nos, menses alternis cavi et solidi, apud Judæos, alternis solidi ac cavi sunt. Itaque de sex tantum mensium neomeniis inter nos, ut plurimum, convenire potest. Annus abundans Judæorum Marchesvan plenum, noster Sebat habet: annus defectivus ipsorum Chisleu cavum, noster Adar habet. Unde statis quibusdam temporibus, aliquid eodem in genere, quasi extra ordinem tamen, discriminis futurum est. Sed hæc omnia tantum ex accidenti fiunt; in quibus non magis a nobis quam a majoribus suis dissentiunt Judæi recentiores. Apud antiquos mensium ordo ac decursus idem omnino ac noster erat: quod et ipsius Scripturæ testimonio, et Josephi de usu temporis sui, et prisci ipsorum kalendarii suffragatione, confirmatum est.

Tertio, De feriis, sive kalendis anni: nulla apud nos kalendarum anni dilatio, nulla feriarum eum in finem translatio fit: quæ apud Judæos adeo ordinaria est, et tot de caussis oriunda, ut pæne singulis annis, (alternis utique,) aliquid ejusmodi fiat necesse sit.

Quatuor enim, minimum, de caussis, quod ad lunæ rationes spectat, tribus autem aliis, quod ad ferias hebdomadæ ipsas, translatio illa de more facienda est. Si lunæ conjunctio media, secundum calculos eorum, ipso meridiei puncto futura sit, kalendas differunt: si aliquo post meridiem tempore, ejusdem diei, kalendas differunt: duas alias porro ob caussas, (non ita quidem usitatas, tamen quæ fieri possunt,) apud annos diversi inter se generis locum habentes, kalendas differunt. Si feria hebdomadæ prima, vel quarta, vel sexta, pro calculis ipsorum, luna nova futura sit, kalendas differunt: id quod regula sua, *Nunquam Tisri in* ADU, id est, feria 1, vel 4, vel 6, indicare volunt. Quemadmodum contra, *Nunquam Nisan in* BADU: id est, feria 2, vel 4, vel 6: quæ altera de kalendis Nisan observatio ex hac de kalendis Tisri, anni apud ipsos principio, ortum ducit. Quapropter et geminatæ kalendarum mensium consecrationis, et geminatarum festorum solennitatum, omnium præter sabbatum, (quod non ex anni civilis principio, et mensium postea decursu, sed ex diei septimi ab initio rotatione pendet,) apud nos prorsus ignotarum, usum habent Judæi. Sed hæc omnia et novitia esse, et priscis Judæis incognita, et cum ipsis Tabulis nata, tum e multis anteacti temporis secus facti exemplis, tum ex ipso Maimonide, De Ratione Intercalandi, vii. §. 1. colligi potest.

Ultimum hujus kalendarii caput, sicut jam antea a nobis dictum est, a MOLAD illo TOHU, sive neomenia χάους, retro arcessitur: quod ipsi secunda hebdomadæ nocte, post horam quintam, et consequentis horæ scrupulum quartum et ducentesimum [p], tribus diebus post principis hominis creationem, commissum esse volunt. Unde et characterem ejus, 2d. 5h. 204 constituunt.

[p] Maimonides, De Ratione Intercalandi, vi. §. 8.

Scrupulus autem ipsorum 3″. 20‴ nostras valet: siquidem horam unamquamque, seu 60 minuta nostra, propter multiplicem alios in numeros divisionem cujus numerus ille capax, in 1080 scrupulos suos distribuunt[q]. Ita caput kalendarii Judæorum hodierni ad Molad Tohu sacrum, Octobris 7, inter horam 11 et 12 P. M. nostram, feriam 2, A. CH. N. 3761, secundum ipsos recidit. Unde error unius diei in capitis constitutione admissus; novilunium enim verum, A. CH. N. 3761, Octobris 6 non Octobris 7 erat. Quæ aberratio a vero, in capite cyclorum admissa, per universum postea eorundem decursum necessario propagata esset, nisi, procedente tempore, contrario quodam errore correcta et compensata esset; unde factum est ut post A. CH. N. 1511, et kalendarium Judæorum prolepticum, et nostrum, æqualiter inter se procedere et pergere possent.

Quare, pro kalendario Judæorum proleptico hoc,
A. CH. N. 3761, Periodo i, Cyclo i, Anno 1,
Kalendæ Tisri, Octobris 7.
Post annos 3952, Periodos xiii exactas,
Decrementum epocharum = 13.
Ergo A. D. 192, Periodo xiv, Cyclo i, Anno 1,
Kalendæ Tisri, Octobris 7 − 13, id est, Septembris 24.
Per consequens,
A. D. 344, Periodo xiv, Cyclo ix, Anno 1,
Kalendæ Tisri rursus Sept. 24.

Pro Kalendario autem nostro,
A. D. 344, Periodo vii, Cyclo iii, Anno 12,
Decrementum epocharum = 6.
A. D. 344, kal. Tisri, Septembris 30 − 6, id est, Sept. 24.

De auctoribus kalendarii hujus Judaïci, et propter-

[q] De Ratione Intercalandi, vi. §. 2.

ea de ætate ipsius, non satis constat: nisi quod tribus omnino, qui in ejusdem operis perfectionem unus post alterum incubuerint, Samueli scilicet, Addæ, atque Hilleli, omnium pæne suffragiis acceptum ferendum sit. Mirum est Maimonidem, de A. D. 1178 loquentem [r], perscriptarum Tabularum epocham in 1489 antea annum rejicere; quod ad Æram usque Græcorum, A. CH. N. 311, reciderit necesse est: celebrem illam quidem, atque apud orientales receptam, kalendario tamen Judaïco, etiam ipso Maimonide teste [s], longe antiquiorem. Hodiernus Judæorum computus epocham kalendarii sui ab A. D. 338 repetit. Auctores ipsorum fide digni perscriptas Tabulas, et de summi Synedrii sententia propositas, in A. D. 358 conjiciunt. Nobis, cum Scaligero, epocham ejus ad A. D. 344 constituere placet: ita tamen, ut A. D. 338 inchoatum forsan a Magistro Samuele, A. D. 344 ab Adda, astronomorum sui temporis inter Judæos principe, perfectum, A. D. 358 ab Hillele et Synedrio sancitum ac propositum esse, probabiliter statuamus. Itaque, post justum cyclorum novemdecennalium numerum, id est 216, jam confectum, cum Cyclo 217, Anno 1, Luna nova, kalendis Tisri, Septembris 24, ineunte feria 3, eadem ferme qua et principio, A. D. 344, kalendarium hoc Judæorum inire inceperit: in quibus omnibus, nisi quod ad cyclorum decursum spectat, et cum Kalendario nostro ad amussim convenerit.

Explanatur ex eadem epocha et TEKUPHARUM Judaïcarum ratio. Tekuphæ illæ cardinum anni vertentis apud annum lunarem ipsorum constitutio est: quæ ejusmodi et statim ab initio fuit, atque adhuc obtinet, ut exordio ab anno bissexto sumto, TEKUPHAM Tisri, id est cardinem auctumnalem, ad Septembris 24; TEKUPHAM

[r] De Ratione Intercalandi, xi. §. 16.   [s] Ibid. v. 3.

Tebeth, id est cardinem brumalem, ad Decembris 24; TEKUPHAM Nisan, id est vernum anni cardinem, ad Martii 26; TEKUPHAM Thamuz, id est cardinem æstivum, ad Junii 25; singulas quidem diebus 91, horis 7, minutis 30 nostris, id est anni Juliani, dierum 365. 6^{h}, quarta exacta parte, ab invicem ineuntes et exeuntes, observent*. Quæ constitutio quidem atque observatio, etsi etiam a principio errore quodam peccaverit, tamen e recepta de cardinum istorum cum anno Juliano commissura opinione orta, et veniam mereri, et nondum cumulato in tantum excessus errore, haud absurde fieri poterat. Nunc autem, retractis totis 17 vel 18 diebus cardinibus istis, et contra rerum naturam, et contra communem hominum sensum, observatio eadem, apud hodiernos Judæos, nimium quantum superstitiose, et nimium quantum pertinaciter fit. A. D. autem 344, æquinoctium auctumnale, (id est epocha ejusdem, de sententia vulgari,) Septem-

* *Tekuphæ Judaïcæ*, pro singulis quadriennii Juliani annis, sequentem ad modum adornari solent.

	Tekupha Tisri.	Tekupha Tebeth.	Tekupha Nisan.	Tekupha Thamuz.
Anno Bissex.	Sept. 24. 9^{h}	Dec. 24. 16^{h} 30′	Mar. 26. 0^{h}	Jun. 25. 7^{h} 30′
Post Biss. 1	— — 15	— — 22 30	— — 6	— — 13 30
— — 2	— — 21	— 25. 4 30	— — 12	— — 19 30
— — 3	— 25 3	— — 10 30	— — 18	— 26. 1 30

Maimonides, tamen, De Ratione Intercalandi, ix. 5. Tekuphas singulas, A. D. 1170, pro diebus hebdomadæ, in quas casuræ erant, ita constituit.

A. D. 1170.	Tekupha Nisan	Die 5	6^{h}	0′
	Thamuz	5	13	30
	Tisri	5	21	0
	Tebeth	6	4	30

Unde constat, eum A. D. 1170 tanquam primum post bissextum habuisse, ideoque bissextos suos a kalendis Tisri, (e.g. A.D. 1168,) non a kalendis Nisan, singulis annis numerasse. Hæc autem, de A. D. 1170, Tekupharum constitutio, (quo anno Litt. Dom. D. erat,) obtinere non potest, nisi Tekupham Nisan, pro sententia Maimonidis, primo post bissextum anno, Martii Juliani 26, 0. A. M: Tekupham Thamuz, Junii 25, 7^{h}. 30′. A. M: Tekupham Tisri, secundo post bissextum anno, Septembris 24, 3^{h}. P. M: Tekupham Tebeth, eodem anno, Decembris 24, 10^{h}. 30′. P. M. commissum iri assumseris.

bris 24, in ipsas Tisri kalendas inciderit: unde tum anni vertentis, tum anni Judæorum et lunaris, decursus, statim ab initio unus atque idem constitutus, perpetuis postea temporibus intra certos limites idem permansurus esse videri poterat. Et de TEKUPHIS suis, si quo alio, singularis etiamnum Judæorum cæcitas atque obstinatio est; unde naturæ ipsi contra testanti ac contra pugnanti fidem habere vel nequeunt vel nolunt. Miramur tamen etiam Maimonidem, etsi erroris aliquid eo nomine jam ante suum tempus admissum suspicatum, tamen non ultra biduum erroris summam facere; id est, non ultra Martii 23 a Martii 25 vel 26, ut temporis observatio ad veram solis rationem dirigeretur, retrahendam esse Tekupham Nisan, sive cardinem anni vernalem, censere [t]: qui tamen, A. D. 1178, ad Martii 13 vel 14 potius retractandus erat: et totis centum antea annis, id est, A. D. 1079, quo tempore æra Gelalæa, quæ dicitur, epocham suam cum Neuruz Persico principali, id est verni æquinoctii die, sortita est, ab astronomis Persis ad mensis popularis, Ferverdin sui, 19, Martii Juliani 15, rectissime destinatus et defixus erat. De quo et Maimonidem, ante A. D. 1178, fando aliquid audîsse, sin minus de commercio inter Ægyptum ac Persidem id temporis stato atque ordinario, ex ipsius tamen testimonio [u], conjectari potest.

Visum est igitur nobis, exempla quædam commissarum inter se, vel committendarum, secundum Kalendarii nostri rationes, et pro kalendario Judæo, ab A. D. 344 ad præsentem usque diem, epocharum proponere; atque ita capitis hujus finem facere. Per regulas quidem ipsorum, quæ apud Tabulas suas perscriptæ COMPUTI JUDAÏCI nomine audiunt, nullo non

[t] De Ratione Intercalandi, x. §. 7.

[u] De Ratione Intercalandi, ix. §. 1.

tempore de kalendis Tisri secundum ipsos judicium institui potest. Sed cum regularum istarum praxis atque administratio, licet certissima et nunquam fallere nata, intricata prorsus et spinosa sit; satius videtur compendiaria quadam via eodem contendere, atque ope Kalendarii nostri, secundante tantum vel præeunte testimonio extrinsecus quodam, de epochis supradictis periculum facere.

i. Ambrosius Episcopus, in Epistola sua ad Episcopos Æmiliæ[x], de Paschate agens, Judæis exprobrat quasi anno proximo, A. D. 387, duodecimo, non primo, mense, xiii kal. Aprilis, Phamenoth Ægyptii et Alexandrini 24, Martii Juliani 20, Pascha suum observaturi essent. Rectissime quidem, quod ad Paschæ illius apud Judæos statum tempus. Perperam tamen, si ipsis vitio vertendum esset, quod rite tantum, et de consuetudine, factu futurum erat.

Etenim pro Kalendario nostro,

A. D. 387, Periodi vii, Cycli v, Annus 17.
Decrementum Epocharum = 6.
A. D. 387, neomenia Nisan Martii 12 – 6,
id est, Martii 6, P. M.
Itaque Nisan 15, Martii 20, 6 P. M.

Pascha igitur hoc, ipso æquinoctii verni et medii die, Martii 20, futurum erat. Neque regula BADU de Nisan, aliquid scrupuli objecerit. Siquidem A. D. 387, Litt. Dom. C. Martii 20, feria 7. Itaque Nisan 15, a Martii 20, et 6 P. M. cum hora prima noctis, feria hebdomadæ prima, initurus erat.

ii. Secundum auctorem Homiliæ Paschalis Septimæ,

[x] Operum ii. 884. D. E. Epistola xxiii. §. 15.

quæ Chrysostomo vulgo adscripta est, quo anno Homilia illa habebatur, Judæi Pascha suum ante æquinoctium, id est ante Martii 21, receptum id temporis verni æquinoctii diem, celebrabant[y]. De anno, quod A. D. 672 fuerit, aliunde constat[z].

A. D. 672, Periodi viii, Cycli iv, Annus 17.
Decrementum Epocharum = 7.
A. D. 672, neomenia Paschalis Martii 12 – 7,
id est Martii 5, 6 P. M.

Ergo Nisan 15, status Paschæ dies, Martii 19, 6 P. M. Quod per regulam BADU fieri poterat. A. D. enim 672, Litt. Dom. D C, Martii 19 a 6 P. M., feria 7. Itaque rectissime, secundum auctorem hunc, ipso Martii 19 Pascha Judæorum hoc anno fiebat; postridie quidem verni æquinoctii et medii, Martii 18, etsi biduo ante Martii 21, receptam ejusdem inter Christianos epocham, totis autem triginta septem diebus ante Pascha Christianorum; quod, eodem anno, Aprilis 25 observandum instabat.

iii. Maimonides, De Ratione Intercalandi[a], anno mundi, secundum Judæos, 4930, cycli labentis 260 anno 9, (quorum uterque ad A. D. 1170 respondet,) kalendas Nisan feria 5 fuisse prodit; vernum anni cardinem, id est Tekupham Nisan, octavo ejusdem mensis postea die, feria 5 tamen, item fuisse prodit. A. D. 1170, Litt. Dom. D. Martii 18 feria 4, Martii 26 feria 5 erat. Unde constare potest, Nisan 1, ab hora 6, P. M., Martii 18, cum feria 5, iniisse; Tekupham Nisan in octavum postea diem, Martii 26, feriam 5, incidisse.

y Operum vii. *Spuria*, 277 D.

z Vide Dissertationes nostras, App. Diss. xxvii. Part. ii. 616. notam.

a ix. §. 5. 7.

Pro Kalendario nostro,

A. D. 1170, Periodi ix, cycli xv, annus 2.

Decrementum epocharum = 8.

A. D. 1170, kalendæ Nisan Martii 27 – 8,

id est Martii 19, 6 P. M.

Quod per regulam BADU obtinere non poterat: siquidem Martii 19, a 6 P. M., feria 6. Nimirum Kalendarium nostrum, Periodo ix, cyclo xv, diei unius excessu peccat. Quod idem de Judæorum kalendario, cum cyclo tertio nostro nato, nondum obtinet. Itaque rectissime, secundum Maimonidem, A. D. 1170, kalendæ Nisan Martii 18, a 6 P. M.; id est feria 5.

iv. Aliud exemplum habet idem Maimonides[b], de anno mundi Judaïco, 4938, cycli labentis 260 anno 17, A. D. 1178, Litt. Dom. A: quando Nisan 3 feria 5, et per consequens Nisan 1, feria 3 erat.

Pro Kalendario nostro,

A. D. 1178, Periodi ix, cyclus xv, annus 10.

Decrementum epocharum = 8.

A. D. 1178, neomenia Nisan Martii 29 – 8,

id est Martii 21, 6 P. M.

Quod in regulam BADU peccat: nam Martii 21, ab hora 6 P. M., feria 4. Nimirum diei unius excessus nunc etiam apud Kalendarium nostrum obtinet. Verus igitur neomeniæ Nisan dies, secundum Maimonidem, Martii 20, a 6 P. M.; id est, feria 3. Unde et Nisan 3 Martii 22, a 6 P. M., feria 5.

v. Isacius Argyrus, apud Scaligerum[c], de A. D. 1318, sicut Scaligero videtur, loquens, Pascha Judæorum, Æni, Thraciæ urbis, inquilinorum, Martii 20, Pascha

[b] De Ratione Intercalandi, xi. §. 16.

[c] De Emendatione Temporum, lib. iv. p. 327–331.

Christianorum Luna xviii, Aprilis 23, (qui anno illo, Litt. Dom. A. revera feria 1 erat, etsi Lunæ non revera xviii, sed potius xxii fuerit) factum esse testatur.

A. D. 1318, apud nos, Periodi x, cycli vi, annus 17.
Decrementum epocharum = 9.
A. D. 1318, neomenia Nisan Martii 12 − 9,
id est Martii 3, 6 P. M.
Unde Nisan 15, Martii 17, a 6 P. M., feria 7.

Quod per regulam BADU obtinere poterat. Scaligero tamen neomenia Nisan, hoc anno, Martii 4, Pascha Martii 18, feria 1; quod etiam per regulam BADU licebat. Martii vero 20, a 6 P. M., feria 3; unde per regulam eandem Pascha etiam illo die fieri licuisset; sed biduo tardius, quam pro kalendario Judæorum, et stato sui eodem anno die. Itaque aut memoria falsus Argyrus, aut non de A. D. 1318, quod Scaligero visum est, locutus fuerit.

vi. Ut ad tempora tamen nostra ipsorum deveniamus: A. D. 1784 [d], kalendæ Nisan, stylo vetere, Litt. Dom. GF, Martii 11, 6 P. M., feria 3 erat; quod per regulam BADU licebat. Pro Kalendario nostro,

A. D. 1784, Periodi xi, cycli xv, annus 8.
Decrementum epocharum = 10.
Neomenia Nisan A. D. 1784, Martii 21 − 10,
id est, Martii 11, 6 P. M.

Itaque inter kalendarium Judaïcum, et kalendarium nostrum, hoc anno discrimen nullum. Utrumque autem ad lunæ rationes pariter responderit, vel contra, necesse est.

vii. A. D. 1820, Litt. Dom. DC, stylo vetere, Pascha Judæorum, Martii 17, a 6 P. M., feria 5, celebratum esse constat. Pro Kalendario nostro,

[d] Vide L'Art de vérifier les Dates. Kalendrier Judaïque.

A. D. 1820, Periodi xii, cycli i, annus 6.
Decrementum epocharum = 11.
A. D. 1820, neomenia Nisan Martii 13 – 11,
id est, Martii 2, 6 P. M.
Ergo, Nisan 15, Martii 16, a 6 P. M.

Quod in regulam BADU offenderit necesse est: Martii enim 16, a 6 P. M., feria 4. Itaque die postero Pascha celebrandum erat, Martii 17, a 6 P. M., feria 5: quo et celebratum esse constat. Rectius tamen, pro lunæ rationibus, Kalendarium nostrum; siquidem Martii 17, ineunte luna 16 nostra, eclipsis lunæ facta est.

viii. Postremo, quo anno hæc commentabamur, A. D. 1839, stylo vetere, Litt. Dom. A. diem jejunii sui, Tisri 10, a Judæis, per totum Europæ orbem, Septembris 6 celebratum esse constat. Unde kalendæ Tisri Augusti 27, 6 P. M.

Pro Kalendario nostro,
A. D. 1839, Periodi xii, cycli ii, annus 6.
Decrementum epocharum = 11.
A. D. 1839, kalendæ Tisri Septembris 6 – 11,
id est, Augusti 26, 6 P. M.

Ita diei unius inter nos et Judæos discrimen. Nimirum in caussa ADU regula. Siquidem Augusti 26, a 6 P. M., feria 1. Feria autem prima kalendæ Tisri inire nequibant. Itaque primus Tisri dies, Augusti 27, a 6 P. M.; feria 2. Rectius tamen, pro lunæ rationibus, kalendæ Tisri nostræ: quoniam eo ipso die, Augusti 26, sub ipso mediæ noctis puncto, pro meridiano Hierosolymitano, eclipsim solis factam esse, id est veram solis et lunæ conjunctionem excidisse, constat. Sed de his jam satis.

CAPUT II.

De Anno Natali Domini nostri, qualis ille ex successione Ephemeriarum apud Judæos investigari ac constitui potest.

DE successione Ephemeriarum apud Judæos, et numquid exinde de anno natali tum Joannis Baptistæ, tum Domini nostri Jesu Christi, conjici posset, in Dissertationibus nostris nonnihil disceptatum [a]. Sed quoniam et quæstio hæc omnis ipsa ejusmodi sit, quæ sine kalendario quodam anni sacri parum accurate tractari possit; argumentum autem, inde prognatum, ad circumscribendum certis limitibus natalium Dominicorum tempus, nostra quidem opinione, omnium pæne aptissimum sit, sin minus ad ipsorum deprehensionem recta ducat: visum est nobis disceptationem illam universam retractare, atque adjuvante Deo, ope kalendarii nostri, successionem ephemeriarum multo quam antea plenius ac luculentius constituere.

Sacrorum ordinum inter Judæos duo omnino genera erant; alterum Sacerdotum, alterum Levitarum: quos inter, tametsi ab auctore gentis ac tribus uno oriundos, dignitatis tamen et sanctitatis, privilegiorum et juris singulis proprii, officiorum et munerum ad singulos pertinentium, jam inde a principio Dei ipsius monitu discrimen vel maximum factum est. Post ingressum in terram sanctam, additus est ordo tertius, τῶν Nethinim sive Ἱεροδούλων; de Gibeonitis, et de contributis iisdem civitatibus, atque eorum posteris, conflatus. Post

[a] Diss. xii. vol. i. 383–385. 433–437.

tempora Salomonis regis, natus videtur et quartus ordo quidam, qui filiorum servorum Salomonis cognomine audit. Horum tamen neutrius, sub hisce nominibus, nisi post reditum a captivitate apud sacras litteras mentio fit.

Generis autem Hieratici distributio ac divisio illa, quæ per *ephemerias* intelligenda est, omnino ad Sacerdotes ac Levitas tantum pertinebat. Et quamvis designationem quandam munerum circa Tabernaculum defungendorum, et temporum statas quasdam vices observandorum, eo consilio ut res liturgica commodius, decentius, ac solennius procederet; a primis temporibus, sin minus ipsius Josuæ, proto-prophetæ tamen Samuelis, auctoritate constitutas ac traditas fuisse, et verisimilitudini maxime consentaneum, et non obscuris etiam sacræ scripturæ indiciis confirmatum sit: tamen discretio illa sacrarum gentium in viginti-quatuor Sacerdotalis, totidem Levitici, generis familias, et classes, seu ephemerias; et descriptio munerum quæ, ex hac divisione orta, singulis obeunda incumbebant, non nisi ætate Davidis regis facta est; adsistentibus tamen ac sancientibus, qui ætate ipsi suppares erant, prophetis; atque in primis Gad et Nathan.

Atque epocham quidem hujus divisionis cum ultimo Davidis anno, A. CH. N. **1015**, non ita multis ante mortem ipsius mensibus, concurrisse; ex Paralipomenorum historia facile colligi potest. Illud præterea non ita notatu proclive est, etsi et certum et magno ad hanc quæstionem, quam tractamus, momento præditum, neque infirmiore Scripturæ testimonio corroboratum; divisionem ipsam scilicet, quadragesimo Davidis anno jam tum peractam, sicut cetera tamen omnia, quæ ad Templum futurum spectantia, a Spiritu Dei cum Davide

primitus communicata, ab ipso Davide scriptis mandata et Salomoni filio tradita sunt; non eo consilio peractam esse ut usu capienda foret, aut etiam ut usu capi posse intelligeretur, donec Templum ipsum et ædificari cœptum, et jam ædificatum, atque omnibus numeris suis absolutum esset.

Dies dedicationis, sin minus absolutionis ac consummationis, Templi prioris jam antea nobis in cognitionem venit: et solemnia, quæ inter dedicandum fiebant, omnia a Tisri Judaïci 9, Septembris Juliani 16, feria hebdomadæ prima, A. CH. N. 1004, exorsa, usque ad Tisri 23, Septembris 30, feriam quoque primam, continuata fuisse jam antea monuimus. Atque eo potissimum die, quo consecratio Altaris, Arcæ Testimonii in Sanctum Sanctorum deductio, Gloriæ Domini plenissima revelatio, oratio denique illa Salomonis, atque ignis de cœlo descensus, cummaxime fiebat; (qui dies erat festi Scenopegiæ primus, Tisri 15, Septembris 22, uterque cum die sabbati id temporis commissus;) sacerdotes non per descriptas vices ministrantes adesse, ῥητῶς proditur[b]: quod tamen, si cui ita visum fuerit, de eo ipso die intelligatur licet, neque præjudicii aliquid præ se ferat, quominus sive ex hoc ipso die, Tisri 15, Septembris 22, sive ex septimo retro die, Tisri 8, Septembris 15, sive ex septimo postea, Tisri 22, Septembris 29, utroque pariter in diem sabbati incidente, tanquam ex capite omnium primo, decursus ac circuitus ephemeriarum, ab hoc usque tempore institutus ac deinceps propagatus, pro re nata arcessi atque explicari possit.

Constituto igitur ad unam quamvis harum epocharum ephemeriarum capite, si modo ut res satis certa assumi posset, orbem istum ac revolutionem usque ad

[b] 2 Paralip. v. 11.

Templi prioris excisionem æquabilem et sibi constantem processisse; nihil proclivius factu foret, quam dato quolibet tempore, cujusnam e viginti quatuor in ministrando vices jam instarent, ad arithmetices fidem explorare. Nam de illo quidem constat; nullam scilicet ephemeriam neque plus neque minus quam septem diebus continuis una vice apud Templum perseverasse: nullam sabbato in stationem non ingressam sabbato etiam e statione non egressam: ferias autem gentiles, sive statos illos ac solennes conventus, quibus omnes omnium ordinum adultæ ætatis mares ter in anno Hierosolymam cogendi erant, nihil interruptionis ad debitas ephemeriarum vices, quominus uno atque eodem tenore perpetuo circumvolverentur, adtulisse. Itaque ergo, post confectos singulos CLXVIII dies, id est septimanas XXIV solidas, explicato a capite ad finem ephemeriarum orbe uno, alter atque idem de novo explicandus instaret, necesse erat. Verum enimvero, quæ fuerit temporum iniquitas, post diem illum dedicati Templi, (si a die illo ephemeriarum decursus repetendus est,) veremur ut ulli cuilibet assumtio ista, tanquam satis certam, aut satis probabilem, sese commendaverit. Certatim enim non una vice, sed sæpius, a regibus et proceribus sequioris ævi idololatriam versus in præceps itum est; quibus plebs vulgi nimium sequax defectionis auctoribus morem gerebat: immo potius præire, atque instinctu suo ad defectionem cogere, parata erat. Constat sub Ahaz occlusas atque obseratas Templi fores: reseratas primum ab Hezekia. Quid sub Manasse cum Templo in primis actum sit, vel ante captivitatem ipsius vel durante ea, non liquido tradit Scriptura. Captivitatem tamen istam, sine magna stati rerum omnium ordinis perturbatione, contigisse, verisimile non est. Quæ cum ita sint, bene nobiscum actum esse confiteamur oportet, qui, tametsi omnia de ephemeriarum successione, tem-

poribus retroactis, confusa, et perplexa, atque inextricabilia pronuncianda essent; aliam tamen, nec minus fidam haberemus epocham, unde ad tempora usque nati Evangelii eadem ipsa multo constantius et multo certius deduci posset.

Memoriæ tamen a Judæis proditum exstat, quo tempore Templi prioris excidium cummaxime fiebat, omnium ephemeriarum primam ac principem, Joarib scilicet, in statione fuisse. Idem etiam tradunt de tempore excidii Templi posterioris. Addunt præterea diem excidii, et per consequens ingressi in stationem Joarib, unum atque eundem utrumque fuisse; nimirum mensis sui quinti, seu Ab, vel septimum vel nonum. Quæ quidem omnia, tametsi primum intuentibus nimis subtilia videantur, quam ut revera facta fuerint; tamen et fieri potuerunt, et fortasse, numine Divino, cui cuncta istiusmodi subjacent, id consulto agente, revera facta sunt. Et cum cardo hujus subtilitatis in eo potissimum versetur, quod idem longe diversis temporibus, et dispari rerum statu, tamen uno et eodem die de templo uno bis factum sit, de die quidem facti utriusque quodammodo certi sumus; prioris ex testimonio Scripturæ, quæ mensis sui quinti vel septimum vel nonum verbis conceptis prodit; posterioris autem ex Josepho, qui mensis ejusdem vel eundem omnino diem, vel quem ipse eundem judicaverit, suo tempore etiam distincte tradit. Parum aut nihil miraculo rei adjeceris, si unum etiam eumdemquè ephemeriarum statum, id quod a Judæis constanter traditum est, utraque tempestate fuisse suspicatus sis.

Non possumus igitur nobismet temperare, quin hujus traditionis fidem de Templi prioris exitu, et de ministrante id temporis in primis Joarib, calculis

subductis exploremus: posito scilicet et constituto, quod orbis ephemeriarum universus a Tisri Judaïci 22, Septembris Juliani 29, feria 7, A. CH. N. 1004, explicari et retexi cœptus, usque ad diem Templi prioris supremum, Ab Judaïci 7, (non autem 9,) Augusti Juliani 6, feriam etiam 7, A. CH. N. 588, æquabiliter ac constanter retexi perstiterit. Quod tamen argumenti tantum gratia in præsenti fingimus: etsi fieri potuit, vel saltem ab eo, quod revera factum sit, non multum abludere potest.

Successio ephemeriarum ab anno A. CH. N. 1004, *usque ad annum A. CH. N.* 588.

Data epocha omnium ephemeriarum prima, Tisri 22, Septembris 29, feria 7, A. CH. N. 1004; Quæritur cujusnam vices adfuerint, Ab 7, Augusti 6, feria 7, A. CH. N. 588?

Intervallum illud a Septembris 29, A. CH. N.	1004	
Usque ad Augusti 6	588	
= annos	416	— 54 diebus.
Adjice pro correctionibus kalendarii nostri interea factis ....dies		— 4
Totum intervallum = annos	416	— 58 diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii	400 =	146,100	0
	10 =	3,652	12
	6 =	2,191	12
	416 =	151,944	0
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 1004 ....horas			6
Summa =		151,944	6
Rejice dies		58	0
Restant dies		151,886	6 horæ.

Horæ illæ 6 negligendæ sunt, utpote quæ ad 24 summam nondum adscendunt.

Jam vero dies 151,886 = septimanas 21,698 = 904 × 24 + 2.

Ergo, post revolutiones omnium ephemeriarum 904, jam antea confectas, ephemeria prima, cui nomen Joarib, septimanis duabus seu quatuordecim diebus ante Ab Judaïci 7, Augusti Juliani 6, feriam hebdomadæ 7, A. CH. N. 588, in stationem ingressa esse debuit; ipso autem die illo, instante cummaxime Templi excidio, egressa vixdum secunda, cui nomen Jedaiæ, successerit illi tertia, cui nomen Harim: adhuc autem in ministerio fuerit, cum Templi destructio facta est. Quod tamen nemo miretur oportet, salva nihilominus traditionis Judaïcæ auctoritate, quæ contra de Joarib eodem illo tempore statuit; siquidem, circa tempus in medio omne, inæqualitas quædam in cursu ephemeriarum volvendo non semel atque iterum tantum, sed repetitis forsan vicibus, admissa sit. Inde enim factum sit, ut Joarib revera in statione fuerit feria 7, Augusti 6, Ab Judaïci 7, A. CH. N. 588, etsi calculus idem de Harim concludat, et tametsi idem potius de Harim obtinuisset, nisi ordo et vices ephemeriarum inter se, interea temporis, perversi essent. Et tamen notatu inprimis dignum, quam prope ad traditionis fidem, arcessita ephemeriarum a Tisri 22, Septembris 29, feria 7, A. CH. N. 1004, epocha, etiam calculus incedat: nam Joarib prima, Harim tertia tantum; primo autem ministrationis statæ die excidium Templi contigit. Ita per quatuordecim omnino dies, septimanas duas, et duarum ephemeriarum inter se vices, tantum steterit, quominus et calculus et traditio, alter ad alteram exactus, inter se ad amussim quadrarint.

Calculus tamen hicce a dedicatione Templi processit;

ephemeriarum autem decursus non a dedicatione, sed a consummatione, Templi processerit licet; inter quas, apud ipsam Scripturam, distinctio expresse facta est: hanc enim in mensem Bul [c], illam in mensem Ethanim [d], conjicit; mensem autem Bul octavum, Ethanim septimum, locis iisdem designat. Unde Ethanim sacer idem ac Tisri Chaldaïcus, septimus apud kalendarium sacrum uterque, Bul autem sacer idem ac Marchesvan Chaldaïcus, octavus uterque, fuerit necesse est. Quod idem et de mensis ipsius nomine conjectandum est. Etsi enim de etymologia mensis Ethanim non satis constet; mensem tamen Bul vel a pluviarum rigatione, vel a foliorum in terram dejectu, quod Græce eleganti metaphora φυλλοῤῥοεῖν dicitur, et Latine *arborum defluvium* dicatur licet, appellatum esse vix dubitari potest. Status igitur mensis hujus, apud annum vertentem seu naturalem, locus, præsertim sub hanc tempestatem, quando æquinoctium vernum medium Martii 31 vel Aprilis 1 erat, partim October, partim November, Julianus de more fuerit. Neomenia scilicet Abib in ultimum sui terminum, Aprilis 11, incidente, neomenia Bul Novembris 3; neomenia Abib in citimum terminum, Martii 13, incidente, neomenia Bul Octobris 5: neomenia Abib in ipsum æquinoctii diem, Martii 31, incurrente, neomenia Bul Octobris 23. Unde et pluviis auctumnalibus seu primis de more stillantibus, et foliis arborum de more defluentibus, nullo non anno statam hunc mensem tempestatem fore, satis constare potest.

Et dedicationem quidem Templi non multum temporis absolutionem ejusdem anteversuram esse omnino probabile est: sed et donec et ædificatum, et omnibus numeris suis jam cumulatum Templum esset, statæ atque ordinariæ ephemeriarum apud idem ministrationis ini-

c 1 Reg. vi. 38. d Ibid. viii. 2.

tium nondum factum iri, vix minus verisimile nobis videtur. Quare, cum nondum per descriptas vices adfuisse sacerdotes, quo tempore dedicatio Templi fiebat; nondum etiam absoluto per omnes partes suas Templo dedicationem ipsam factam, ex eodem Scripturæ testimonio constet: sequitur, ut nobis videtur, etiam ipsa teste Scriptura, non a citeriore epocha, quam die absoluti saltem Templi, ministrationis in eodem ordinariæ caput esse arcessendum.

De die autem ipso, etsi nihil ῥητῶς proditum, tamen unum quendam fuisse sub initium mensis, primum ex rei necessitate conjectari potest; quia dedicatio jam ante a Tisri 9 fieri cœpta, licet ad Tisri 23 postea continuata, nisi absolutio Templi ipsa statim cum mense proximo adesse parata erat, nimium quantum destinatum eidem terminum anticipasset: deinde, de more loquendi; mensis enim Bul, de absolutionis tempore simpliciter positus, de mense ineunte potius quam exeunte, vel etiam medio, intelligatur oportet: quemadmodum et, apud profanos scriptores, Olympias quædam, absolute dicta, de anno ejusdem primo semper ferme accipienda.

Neomenia mensis octavi, A. CH. N. 1004, Octobris 7, feria 1 erat; septimus postea dies, Octobris 13, feria 7. Inter hos terminos, ut nobis videtur, dies absoluti Templi maxima cum verisimilitudine circumscribendus est: ut neque neomenia Bul, Octobris 7, feria 1, prior, neque sexto ejusdem die, Octobris 12, feria 6, posterior fuerit. Quod si revera factum sit, solennis atque ordinariæ apud ipsum, jam ad umbilicum perductum, ministrationis, per vices obeundæ, nulla nec citerior neque ulterior epocha, nobis etiam judicibus, quam proximus dies sabbati, Bul 7, Octobris 13, feria 7, constitui potest.

Destinato igitur ad hunc diem ephemeriarum decursus capite, concessis et positis tantum iisdem ac supra; manentibus integris ceteris omnibus, intervallum ab A. CH. N. 1004, usque ad A. CH. N. 588, diebus dimensum, id est, 151,944, præter dies 58, superius positos, aliis insuper 14, a Septembris nimirum 29 ad Octobris 13 pertingentibus, id est, diebus in universum 72, minuatur oportebit. Quibus a summa subductis, restant 151,872. Dies autem 151,872 = septimanas 21,696. Septimanæ 21,696 = orbes ephemeriarum 904. Ergo post confectos a Bul 7, Octobris 13, feria 7, A. CH. N. 1004, omnium orbes 904; A. CH. N. 588, ipso Ab 7, Augusti 6, feria 7, egressa ultima, cui nomen Maaziæ, ingressa esse debuit prima, cui nomen Joarib: adhuc autem in statione adesse, cum excisum et desolatum est Templum. Ita mirum in modum traditio Judæorum, de re facta, cum facto ipso congruerit.

Quæ quidem inter statum quendam ephemeriarum successionis, per traditionis fidem memoriæ consignatum, et successionem ipsam per tot sæcula a capite suo eousque devolutam, convenientia, argumento vel maximo nostra opinione fuerit, tum recte constituti in principio ephemeriarum decursus, tum nihil interea temporis circa decursum ipsum perversitatis egregiæ admissi. Quod tametsi primo adspectu, post ea quæ superius dicta sunt, contra probabilitatis rationes peccare videatur; tamen et fieri potuit, et nescio an revera factum fuerit. Neque enim, imminuta licet et labefactata Legis ipsius auctoritate, tamen, manente etiamnum Templo, ministrationis apud ipsum statæ vices necessario interruptæ fuerint: neque interruptæ licet, ac perversæ, ad tempus, in pristinum sui statum, et decursus a principio eundem tenorem, meliore quoque tempore eædem ipsæ restitui non potuerint: neque

occluso etiam atque obserato Templo, quod sub Ahaz contigit, Liturgiæ atque observationes, eodem pertinentes, interceptæ pariter atque intercisæ, sed ad summum alio tantum translatæ fuerint: quod ex ipsius Scripturæ indiciis, id temporis factum esse, colligere nobismet videmur.

Sed temporis ratio monet, ut missis in medio ceteris omnibus factis, ad novam illam nec minus certam epocham, cujus superius meminimus, indicandam prævertamur. Epocha nimirum illa a die reditus in patriam post captivitatem Babylonicam Judæorum, et restitutæ in pristinum statum rei Liturgicæ sacræ, atque inprimis redintegratæ τῆς ἐνδελεχείας, sive jugis sacrificii, nobis quidem omnino arcessenda videtur. Dies ille, secundum Scripturæ ipsius testimonium, ipsæ mensis sacri et septimi kalendæ, id est, Tisri Judaïci, (jam tum forsan primum apud kalendarium Judaïcum eo nomine insigniendi,) neomenia erat[e]: quam kalendarium nostrum idem ac Septembris Juliani 23, A. CH. N. 536, fuisse ostendit. Et singulari quadam fortuna, quam rectius aliquis Divinæ Providentiæ consultum dixerit, id temporis factum est, ut idem ille dies in anno sacro, quo rei Liturgicæ in universum, ac cum primis τῆς ἐνδελεχείας redintegratio hæc fiebat, Tisri scilicet neomenia, (quod etiam ex kalendarii nostri indiciis constat,) in diem sabbatorum primum, id est feriam primam incideret. Qua re quid magis necessarium, pro temporis ratione et eorum quæ tunc fiebant, quid magis opportunum, quid convenientius, et propterea, omnibus hisce nominibus, quid magis ἐκ προνοίας concipi potest? Die hebdomadæ

[e] Ezras iii. 1–6.

septimo, A. CH. N. 588, res Liturgica illa, atque ἐνδελεχεία illa, cum Templo suo pariter exstinctionem ad tempus passa est. Ecquid igitur magis consentaneum, quam ut post duos et quinquaginta exstinctionis atque eosdem continuos annos, die hebdomadæ primo eadem illa reviviscceret? id quod suo tempore, ut ordo sacrorum, tum primum de novo constituendus, perpetuo deinceps per septimanas, seu septem dierum vices, devolveretur, non minus necessarium erat, quam idem illud quod eundem in finem ab initio factum est: adeo ut, nisi ætas istiusmodi miraculorum jam antea intercidisset, nulli dubitemus, quin ignis de cœlo demissio in sacrum, quod redintegrati jugis sacrificii nomine cummaxime fiebat, pari prorsus jure nunc quoque ipsum exspectanda fuisset, atque in principio, cum altare holocaustorum primo suo sacrificio apud eremum imbutum est, vel postea, cum altare illud super aream Arauni Jebusitæ, Dei jussu, a Davide exstructum est, vel denique cum Templum ipsum, atque altare ejusdem, primis suis Encæniis a Salomone rege celebratum est.

De instaurata post reditum a captivitate ad pristinam sui formam ephemeriarum successione, satis a nobis in Dissertationibus nostris dictum est [f]: ita ut tamquam indubitandum quiddam optimo jure sumendum sit, ordinem ac vices ephemeriarum, tum Sacerdotalium tum Leviticarum, eodem prorsus modo atque eodem tenore post captivitatem procedere cœpisse, quo et ante captivitatem processissent. Superest tantum quæstio, quæ de hac re moveri quidem possit, parum autem difficultatis habitura sit, modo quis ad ea quæ superius dicta sunt animum adverterit. Nam si inquiratur (atque

f Diss. xii. vol. i. 383 et sqq.

inquiri quidem potest) quo ordine redintegrata ephemeriarum successio ab hoc ipso tempore procedere instituerit; A qua, respondeo, ex viginti quatuor ephemeriis, post totam ac continuam illam plus quam duorum et quinquaginta annorum omnium successionis interruptionem; post consimilem totidem per annos rei Liturgicæ universæ cessationem; post Templi ipsius atque altaris per idem temporis intervallum absolutam ac totam defectionem; novus ille ordo potissimum procedere institueret, nisi ab illa, quæ agmen ducebat, atque omnium princeps erat, nempe Joarib? A nulla alia, nisi vel ea, quæ in ordine fuerit cummaxime Templum intercideret, vel ea, quam ratione inita et calculis subductis, si cuncta a die Ab 7, A. CH. N. 588, usque ad diem Tisri 1, A. CH. N. 536, sine interruptione continuata fuissent, ad diem Tisri 1, A. CH. N. 536, in ordine futuram deprehensum esset; communis omnium ac singularum orbis denuo explicandus videri potuit. Quorum quod ad prius adtinet, si ephemeria Joarib ad diem Ab Judaïci 7, Augusti Juliani 6, feriam 7, A. CH. N. 588, secundum traditionem Judæorum, vixdum in ministerium ingressa erat, cum Templi ipsius demolitio sacris ejusdem universis finem inrogabat; optimo jure eadem illa ad diem Tisri 1, Septembris 23, A. CH. N. 536, omnium prima in ministerium restituenda venisset. Quod ad posterius, ephemeriarum de novo successionem, A. CH. N. 536 constitutam, nullo ejusmodi respectu ad tempus in medio elapsum habito constitutam fuisse, sequenti argumento probari potest.

Nam si decursus ephemeriarum eodem prorsus modo, A. CH. N. 536, devolvi cœperit, ac si ab anno A. CH. N. 588, secundum leges suas, uno a capite, Ab scilicet Judaïci 7, Augusti Juliani 6, usque ad annum illum,

atque ad eumdem anni illius diem, perpetua serie continuatus fuisset; eodem reciderit necesse est, sive ab anno A. CH. N. 588, sive ab anno A. CH. N. 536, decursum istum usque ad A. D. 70 metiri institueris. Idem sacrorum ministrorum ordo ad diem Augusti Juliani 2, Ab Judaïci 7, A. D. 70, quando excisum est Templum secundum, in statione fuisse per utramvis seriem monstrabitur: qui tamen ordo, secundum perpetuam Judæorum traditionem, Joarib fuerit, necesse est. Periculum igitur per calculos fiat, cum ab A. CH. N. 588, tum ab A. CH. N. 536, subducendos. Si idem de ephemeriis ab utrisque proditur, idemque cum Judæorum traditione consentaneum; constitutio ephemeriarum, A. CH. N. 536 de novo facta, ad id quod, serie earundem ab A. CH. N. 588 deducta, id temporis obtinere debebat, respectum habere potuerit, seu potius respectum habuerit necesse erit: sin minus, quod cum traditione Judæorum, de A. D. 70, constanti ac perpetua, maxime congruerit, id A. CH. N. 536 revera factum esse pronuntiandum est.

i. *Successio ephemeriarum ab anno A. CH. N.* 588, *usque ad A. D.* 70.

Data epocha ephemeriarum successionis, Ab Juliani 7, Augusti Juliani 6, feria 7, A. CH. N. 588; Quæritur, quænam in ordine fuisse debuerit, Ab 7, Augusti 2, feria 7, A. D. 70?

Intervallum illud ab Augusti 6......A. CH. N.	588
Usque ad Augusti 2 ....A. D.	70
= annos	657 — 4 diebus.
Adde pro correctionibus kalendarii nostri interea factis ....dies	— 5
Totum intervallum = annos	657 — 9 diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii 600	=	219,150	0
50	=	18,262	12
7	=	2,556	18
657	=	239,969	6
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 588 ....horas			6
Summa	=	239,969	12
Rejice dies		9	0
Restant dies		239,960	12 horæ,

quæ negligendæ, quia nondum ad diei unius et noctis unius spatium adscendunt.

Jam vero dies 239,960 = septimanas 34,280 = 1428 × 24 + 8.

Ergo post 1428 omnium ephemeriarum ab Ab 7, Augusti 6, A. CH. N. 588, revolutiones confectas, egressa cummaxime ad diem Ab 7, Augusti 2, A. D. 70, octava cui nomen Abijæ, ingressa esse debuit nona cui nomen Jeshuæ. Itaque, aut falsa traditio Judæorum, quæ idem illud de Joarib contra testatur, aut ephemeriarum successio, A. CH. N. 536 de novo constituta, ad id quod tunc cummaxime obtinere debebat, ephemeriarum vicibus ab A. CH. N. 588, usque ad A. CH. N. 536, sine interruptione delatis, nihil respectus habuerit.

ii. *Successio ephemeriarum ab A. CH. N. 536, usque ad A. D.* 70.

Data epocha ephemeriarum successionis, Elul Judaïci 30, Septembris Juliani 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur quænam in statione futura erat, Ab 7, Augusti 2, feria 7, A. D. 70?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N. 536
Usque ad Augusti 2 ....A. D. 70

= annos 605 — 51 diebus.

Adjiciendi, pro correctionibus kalendarii nostri interea factis ....dies — 5

Totum intervallum = annos 605 — 56 diebus.

		h.	d.
Anni Juliani medii	600 =	219,150	0
	5 =	1,826	6
	605 =	220,976	6
Adde collectas de proximo bissexto horas			6
	Summa =	220,976	12
	Rejice dies	56	
	Restant dies	220,920	12 horæ.

quæ negligendæ.

Jam vero dies 220,920 = septimanas 31,560 = 1315 × 24.

Ergo post 1315 omnium ephemeriarum revolutiones confectas, egressa cummaxime Ab 7, Augusti 2, feria 7, A. D. 70, vicesimaquarta, seu Maazia; ingressa esse debuit, ipso illo die, omnium princeps, seu Joarib. Unde traditio Judæorum, de hoc ipso facto memoriæ consignata, etiam per arithmetices rationes verissima fuisse deprehenditur; simul et decursum ephemeriarum post reditum a captivitate de novo explicandum, ab eadem ephemeria initium fecisse, ac deinde processisse, (id quod demonstrandum suscepimus,) confirmatur.

Quamobrem, ex hoc capite initio sumto, visum est nobis ephemeriarum ordinem perpetuo quasi filo usque ad tempus natalium Dominicorum retexere. Quem in

finem, si qua apud sacras litteras, vel etiam extra easdem, mentio ejusmodi oblata sit, ut de ephemeriarum ministratione agi res ipsa moneat; omnia et singula ferme ad calculorum examen revocare statuimus: præsertim, cum nihil omnino impedimenti sive e sacris sive e profanis litteris adlegari possit, quo minus successio illa, post reditum a captivitate, A. CH. N. 536, semel de novo in pristinum statum suum restituta, uno atque eodem tenore ad tempora saltem Antiochi Epiphanis propagata fuisse existimetur: de quibus, et de interruptione ejusdem, quæ tunc contigerit, quid sentiendum, mox dicetur.

Prima harum occasionum est, de qua ex Ezræ iii. 8–13, certiores facti sumus; tempore scilicet jactorum Templi secundi fundamentorum: quod secundum rationes nostras, Jar Judaïci 2, Aprilis Juliani 18, feria 5, A. CH. N. 535, contigit.

i. *Calculus ephemeriarum successionis ab* A. CH. N. 536, *usque ad Aprilis* 18, A. CH. N. 535.

Data epocha ephemeriarum, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur, cujusnam vices advenissent, Nisan 26, Aprilis 13, feria 7, A. CH. N. 535?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N. 536
Usque ad Aprilis 13............................535

= dies 203

Dies autem 203 = septimanas 29 = 24 + 5.

Ergo post unam revolutionem omnium ephemeriarum, egressa, Nisan Judaïci 26, Aprilis Juliani 13, feria 7, A. CH. N. 535, quinta seu Malchija, ingressa

est sexta seu Mijamin: adhuc autem in ministrando perseverabat, ad diem Jar 2, Aprilis 18, feriam 5.

Secunda hujusmodi occasio est, dedicatio hujus Templi; Adar Judaïci 3, Februarii Juliani 19, feria 5, A. CH. N. 516, itidem facta: de qua idem Ezras, vi. 15. 16–18.

ii. *Calculus ephemeriarum successionis ab A. CH. N.* 536, *usque ad Februarii* 19, *A. CH. N.* 516.

Data epocha ephemeriarum, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur, quænam in statione futura erat, ad diem Sebat 27, Februarii 14, feriam 7, A. CH. N. 516?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N. 536
Usque ad Februarii 14.... 516

= annos 20—220 diebus.
Adde pro correctione kalendarii nostri interea facta ....diem — 1

Totum intervallum = annos 20—221 diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii 20	=	7305	0
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 536 ....horas			6
Summa	=	7305	6
Rejice dies		221	0
Restant dies		7084	6 horæ,

quæ negligendæ.

Jam vero dies 7084 = septimanas 1012 = 42 × 24 + 4.

Ergo post 42 omnium ordinum revolutiones, quarto, cui nomen Seorim, vixdum egresso, quintus, cui nomen

Malchijæ, ipso Sebat 27, Februarii 14, feria 7, A. CH. N. 516, ingressus erat: adhuc autem ministrabat, Adar 3, Februarii 19, feria 5, quando dedicatio Templi secundi fiebat. Idem igitur pæne rerum status, quod ad ephemeriarum ministrationem, et cum jacta sunt hujus Templi fundamenta, et cum absolutum ac dedicatum est. Illo enim tempore ministrabat sexta, hoc autem quinta: dies hebdomadæ unus atque idem utrique communis erat.

Tertia occasio est, dedicatio murorum Hierosolymæ, a Neemia facta; et quidem die, ut nobis videtur, Elul Judaïci 25, Septembris Juliani 20, feria 7, A. CH. N. 444: de qua Neemias, vi. 15, 16. xii. 27–43.

iii. *Calculus ephemeriarum successionis ab* A. CH. N. 536, *usque ad Septembris* 20, A. CH. N. 444.

Data epocha ephemeriarum, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur, quænam in statione futura erat, Elul 25, Septembris 20, feria 7, A. CH. N. 444?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N.		536
Usque ad Septembris 20		444
	= annos	92 — 2 diebus.
Adjice pro correctione kalendarii.........	diem	— 1
	Summa = annos	92 — 3 diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii	90 =	32,872	12
	2 =	730	12
	92 =	33,603	0
	Rejice dies	3	0
	Restant dies	33,600	0

quibus addendæ, collectæ de proximo bissexto ante A. CH. N. 536, horæ *sex*, quæ tamen negligendæ.

Jam vero dies 33,600 = septimanas 4,800 = 200 × 24.

Quare insignis admodum fuerit hæc occasio, tum aliis de caussis, tum præterea de hac, quod explicatis a capite omnium ephemeriarum cyclis, seu orbibus, 200 perfectis; hoc ipso die, Elul Judaïci 25, Septembris Juliani 20, feria 7, A. CH. N. 444, quando dedicatio murorum cummaxime fiebat, orbis 201, cum ephemeria omnium principe, Joarib, inire paratus erat.

Quarta occasio est, desecratio altaris atque interruptio jugis sacrificii temporibus Antiochi Epiphanis facta: de quibus Primus Macc. lib. i. 54. 59; unde etiam Chisleu Judaïci 25, A. CH. N. 168, id est, secundum kalendarium nostrum, Novembris Juliani 27, feria 5, ea contigisse discimus.

iv. *Calculus ephemeriarum successionis ab A. CH. N. 536, usque ad Novembris 27, A. CH. N. 168.*

Data epocha ephemeriarum, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur, quænam in ordine fuisse debuerit, sabbato ante Novembris 27 proximo, Chisleu 20, Novembris 22, feria 7, A. CH. N. 168?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N.	536	
Usque ad Novembris 22...............	168	
= annos	368	61 dies.
Rejiciendi, pro correctionibus kalendarii, dies		− 3
Restant anni	368	58

		d.	h.
Anni Juliani medii......300	=	109,575	0
60	=	21,915	0
8	=	2,922	0
368	=	134,412	0
Adde collectas de proximo bissexto, ante A. CH. N. 536, horas			6
Summa	=	134,412	6 quæ negligendæ.
Adjice dies		58	
Summa=dies		134,470	

Jam vero dies 134,470=septimanas 19,210=800 × 24 + 10.

Ergo elapsis 800 omnium ordinum cyclis, egresso decimo, seu Shecania, ipso Chisleu 20, Novembris 22, feria 7, A. CH. N. 168, ingressus est undecimus, qui et Eliashib; adhuc autem ministrabat, Chisleu 25, Novembris 27, feria 5, quando altaris desecratio facta est.

Proximum est inquirere, quænam in statione fuerit tribus postea annis, Chisleu 25, Novembris 24, feria 6, A. CH. N. 165, cum restituto jugi sacrificio Encænia primum facta sunt: de quibus 1 Macc. iv. 52–58. 59.

V. *Calculus ephemeriarum successionis ab* A. CH. N. 536, *usque ad Novembris* 24, A. CH. N. 165.

Data epocha ephemeriarum, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536: Quæritur, cujusnam vices in ordine futuræ erant sabbato, primis Encæniis proximo; id est, Chisleu 26, Novembris 25, feria 7, A. CH. N. 165?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N.		536	
Usque ad Novembris 25....................		165	
	= annos	371	64 dies.
Rejiciendi, pro correctionibus kalendarii, dies			− 3
	Restant anni	371	61 dies.

		d.	h.
Anni Juliani medii	300 =	109,575	0
	70 =	25,567	12
	1 =	365	6
	371 =	135,507	18
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 536 ....horas			6
	Summa =	135,508	0
	Adjice dies	61	
	Summa =	135,569	0

Jam vero dies 135,569 = septimanas 19,367 = 806 × 24 + 23.

Ergo, si nulla ephemeriarum successionis ab A. CH. N. 536, usque ad A. CH. N. 165, interruptio facta esset; egressa hoc ipso die, Chisleu 26, Novembris 25, feria 7, vicesimatertia sive Delaia, ingressa eodem fuisset, postridie primorum Encæniorum, vicesimaquarta seu Maazias. Egressa autem rursus, proximo sabbato, Tebeth Judaïci 4, Decembris Juliani 2, Maazia, ministrandi vices, post 807 omnium ordinum revolutiones jam confectas, ad omnium primam, Joarib, rursus delatæ forent. Quod si interea temporis interruptio ejusdem quam maxima facta sit, ita ut ordinum vices, quum primum fieri poterat, de novo refingendæ essent; tamen calculus noster eodem recidat necesse est: ministratio enim Joarib, omnium principis, maturius inire non potuerit, quam confectis octo illis primorum Encæniorum diebus,

a Chisleu 25, Novembris 24, feria 6, usque ad Tebeth 3, Decembris 1, feriam 6, pervenientibus, sabbatum quod proxime in ordine futurum erat, id est Tebeth 4, Decembris 2, feria 7, advenisset. Ad ephemeriarum igitur recensionem, quæ restat, conficiendam, nihil intererit, an a prisca ejusdem epocha, Elul 30, Septembris 22, A. CH. N. 536, an a nova hac, Tebeth 4, Decembris 2, A. CH. N. 165, an ab utraque, omnium ordinum decursum ordiri atque explicare, usque ad tempora Domini nostri, instituamus.

Permultæ apud Josephum, post annum A. CH. N. 165, ejusmodi occasiones inter legendum notandæ occurrunt, ubi de ministratione ab ephemeriis in Templo obita, vel obeunda, agi res ipsa monet: quas tamen omnes in præsenti singillatim percensere nimis forsan longum foret. At vero duæ in primis sunt, de quibus præ ceteris minime tacendum remur. De posteriore, suo tempore, postmodum mentionem faciemus. Altera et prior ex Hierosolymorum expugnatione a Magno Pompeio, die Tisri Judaïci 10, Septembris Juliani 23, feria 7, A. CH. N. 63 facta, cujus et in superiore capite meminimus, orta est.

Duplici nomine hæc nobis sese considerandam offert: primum, quod secundume a quæ apud Dissertationes nostras scripta reperiuntur [g], chronologiam historiæ Annæ prophetissæ, de qua Lucas ii. 36–38, exinde pendere probabile sit: deinde, quod ex hoc potissimum exemplo colligi possit, nullam neque ephemeriarum successionis, neque ministerii apud Templum obeundi, interruptionem fieri solitam, etiam inquieto rerum publica-

[g] Diss. xii. vol. i. 399–401.

rum statu; cum bellum ab hostibus sive externis sive internis instaret, vel ipsa cummaxime Hierosolyma obsidione premerentur. Testatur enim Josephus [h], nihil a quotidiana rei Liturgicæ procuratione neque durante obsidione illa, neque in ipsa urbis ac Templi expugnatione cessatum: omnia tum antea, tum tunc cummaxime, tamquam in altissima pace, de more processisse: cædi ad ipsa altaria passos se esse Sacerdotes, modo ne quid a muneribus sibi destinatis vel tantillum diminueretur. Quod profecto mirum gravitatis ac constantiæ exemplum est; ultra mortis metum in officium exsequendum erectæ ac confirmatæ: sed et aliis ejusmodi occasionibus idem ab iisdem simili constantia factum iri, inde vel maxime colligi debet. Sponte igitur ab officio suo, ingruente terrore ullo publico, a Sacerdotibus et Levitis cessatum esse, suspicemur non oportet: ab invitis autem cessatum, multo minus suspicandum. Nam et Sacerdotibus et Levitis, ut plurimum, circa ipsam Hierosolymam domicilia erant; unde proclivis ac promta in urbem concessio, si quid periculi foris minaretur: atque occasiones ejusmodi, quibus Hierosolyma maxime obsidionem ab hostibus passa sit, ferme omnes ita excidisse videntur, ut post statum aliquod festum, quod omnis generis atque omnium ordinum adultos jam antea intra urbis muros conclusos haberet, inceperint.

vi. *Calculus ephemeriarum successionis ab* A. CH. N. 536 *usque ad Septembris* 23, A. CH. N. 63.

Data epocha ephemeriarum, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur, cujusnam vices adfuerint, Tisri 10, Septembris 23, feria 7, A. CH. N. 63?

[h] Ant. xiv. iv. 3, 4. Bell. i. vii. 4–6.

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N. 536
Usque ad Septembris 23 63

= annos 473 1 diem.
Rejice pro correctionibus kalendarii......dies —4

Restant anni 473—3 diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii ...	400 =	146,100	0
	70 =	25,567	12
	3 =	1,095	18
	473 =	172,763	6
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 536...horas			6
Restant		172,763	12 quæ negligendæ.
Subduc dies		3	
Restant		172,760	

Jam vero dies 172,760 = septimanas 24,680 = 1028 × 24 + 8.

Confectis igitur 1028 omnium ephemeriarum orbibus, egresso octavo cui nomen Abijæ, ipso Tisri 10, Septembris 23, feria 7, A. CH. N. 63, ingressus est nonus, cui nomen Jeshuæ. Itaque vel Abijas vel Jeshuas minister fuerit, quando expugnatum a Pompeio Templum est; uter vero, dubitari potest: neque dubitatio ista sublata fuerit, nisi prius de eo satisfactum sit, scilicet primum, an mane, ante sacrificium matutinum, an meridie, ante sacrificium vespertinum, sibi invicem successerint ephemeriæ: deinde, an circa sacrificii matutini, an circa vespertini tempus, captum sit a Romanis Templum: nam vel hoc vel illo potissimum tempore expugnatum esse e Josepho colligi potest.

vii. *Idem calculus ab* A. CH. N. 165, *usque ad Septembris* 23, A. CH. N. 63.

Data ephemeriarum epocha, Tebeth 4, Decembris 2,

feria 7, A. CH. N. 165; Quæritur, quænam in ordine futura erat, Tisri 10, Septembris 23, feria 7, A. CH. N. 93?

Intervallum illud a Decembris 2, A. CH. N.	165	
Usque ad Septembris 23	63	
= annos	102 — 70	diebus.
Adde, pro correctione kalendarii ...diem	— 1	
Restant anni	102 — 71	diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii ...	100 =	36,525	0
	2 =	730	12
	102 =	37,255	12 quæ negligendæ.
Rejice dies		71	
Restant dies		37,184	

Jam vero dies 37,184 = septimanas 5,312 = 221 × 24 + 8.

Idem igitur concludendum est quod antea: nempe post 221 omnium ordinum revolutiones, vel octavum Abijam, vel nonum Jeshuam, cummaxime in statione fuisse Tisri 10, Septembris 23, feria 7, A. CH. N. 63, quando expugnatum est a Pompeio Templum. Quare nisi conjectura nostra de Anna prophetissa, cujus supra mentionem fecimus, omnino prorsus rejicienda, maritus ejus vel de ephemeria Abijæ, vel de ephemeria Jeshuæ oriundus fuerit: quarum de priore origine ducta, etiam cum Zacharia patre Joannis Baptistæ cognationem gentilem habuerit.

Sequitur occasio illa ipsa, cujus potissimum gratia omnia, quæ superius posita sunt, commentati sumus; scilicet ministrationis Abijæ, quæ cummaxime fiebat, quando visio Angeli Zachariæ in Templo oblata est. Hujus quæstionis status eodem redit, ac si datis, ut supra, ephemeriarum omnium epochis, nobis inquirendum

proponeretur, Quænam in ordine futura esset, ad diem Tisri Judaïci 18, Septembris Juliani 30, feriam 7, A. CH. N. 6? Et primum quidem hujus problematis solutio a prisca ephemeriarum epocha, Elul 30, Septembris 22, A. CH. N. 536, repetatur.

Calculus viii. Data ephemeriarum epocha, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur, quænam in ordine futura erat, Tisri 18, Septembris 30, feria 7, A. CH. N. 6?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N. 536
Usque ad Septembris 30........................ 6

= annos 530 8 dies.
Rejice pro correctionibus kalendarii......dies — 5

Restant anni 530 3 dies.

		d.	h.
Anni Juliani medii	...500 =	182,625	0
	30 =	10,957	12
	530 =	193,582	12
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 536...horas			6
	Summa =	193,582	18 quæ negligendæ.
	Adde dies	3	
	Totum =	193,585	

Jam vero dies 193,585 = septimanas 27,655 = 1152 × 24 + 7.

Ergo confectis 1152 omnium ordinum cyclis, egresso ipso Tisri 18, Septembris 30, feria 7, A. CH. N. 6, septimo, seu Hakkoz, ingressus est octavus, qui idem Abijas.

Calculus ix. Data ephemeriarum epocha, Tebeth 4, Decembris 2, feria 7, A. CH. N. 165; Quæritur, quæ-

nam in ordine futura erat, Tisri 18, Septembris 30, feria 7, A. CH. N. 6?

Intervallum illud a Decembris 2, A. CH. N.		165	
Usque ad Septembris 30		6	
	= annos	159 — 63	diebus.
Adde pro correctionibus kalendarii......dies		— 2	
	Summa = annos	159 — 65	diebus.

		d.	h.
Anni Juliani medii......	100 =	36,525	0
	50 =	18,262	12
	9 =	3,287	6
	159 =	58,074	18 quæ negligendæ.
Subduc dies		65	
Restant dies		58,009	

Jam vero dies 58,009 = septimanas 8,287 = 345 × 24 + 7.

Ergo, ut hinc quoque patet, post 345 omnium ordinum revolutiones, egresso Hakkoz seu septimo, ingressus est Abijas seu octavus, ipso Tisri 18, Septembris 30, feria 7, A. CH. N. 6.

Altera illa occasio, cujus ex Josepho nuper meminimus, eadem est de qua ipse, Bell. iv. iii. 7, 8. Ant. xx. x. 1: quando obscurus quidam ac rusticus, etsi genere Sacerdotali oriundus, Phannias vel Phinehas nomine, a seditiosis sive Zelotis pæne in ludibrium muneris Pontificalis, et sane contra morem majorum, sorte Pontifex constitutus est. Ortus hic erat de ephemeria, quam Josephus Ἐνιαχεὶμ, Paralipomenωn Liber Primus, xxiv. 17. nisi magnopere falsi sumus, Hebraïcus, Jachin, idem, apud τοὺς ο′, Ἀχεὶμ nuncupat; uterque ordine vicesimam primam fuisse monstrat. Ministrabat id temporis ephemeria hæc ipsa; qua potissimum de causa etiam factum est, ut

ex hac, non autem ex alia ac digniore, Pontifex sorte legendus quæsitus sit. Jactis autem sortibus, in Phanniam seu Phineham huncce electio cecidit: qui et Pontificatu ita ad ipsum, extra ordinem et contra morem, delato usque ad excidium Templi functus esse videtur; id quod ex ipso Josepho, Ant. xx. x. colligi potest.

Annus hujus constitutionis e contextu Josephi U. C. 820, A. D. 67, certissime patet. Tempus autem anni ex iisdem indiciis vix minus certo investigari potest, atque in mensem Tisri, circa ipsum expiationis diem, cadere reperietur; qui nondum quidem advenerat, quando Phinehas ille Pontifex creatus est, sed paulo post advenit: cujus etiam gratia, uti nobis persuasum habemus, quando advenisset, Pontifex ipse suffectus est. Non parum igitur confirmationis ad illa omnia, quæ hactenus de ephemeriarum ordine ac successione præmissa sunt, accessurum esse confidimus, si vicesimam primam, sive Jachin, sive Achim, sive Eniachim, rectius appellandam, hoc ipso tempore in statione fuisse demonstratum fuerit.

Secundum kalendarium nostrum, A. D. 67, Tisri 10 in Octobris 6, feriam 5, incidit. Ergo proximum ante sabbatum Tisri 5, Octobris 1, feria 7 erat.

Calculus X. Data epocha ephemeriarum Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536; Quæritur quænam in ordine futura erat, Tisri 5, Octobris 1, feria 7, A. D. 67?

Intervallum illud a Septembris 22, A. CH. N.	536		
Usque ad Octobris 1 .... A. D.	67		
= annos	602	9 dies.	
Rejiciendi pro correctionibus kalendarii...dies		−5	
Totum intervallum = annos	602	4 dies.	

		d.	h.
Anni Juliani medii ...600 =		219,150	0
2 =		730	12
602 =		219,880	12
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 536...horas			6
Summa =		219,880	18 quæ negligendæ.
Adde dies		4	
Summa =		219,884	

Jam vero dies 219,884 = septimanas 31,412 = 1308 × 24 + 20.

Ergo post confectas 1308 omnium ordinum revolutiones, egresso vicesimo cui nomen Jehezekel, ipso Tisri 5, Octobris 1, feria 7, A. D. 67, ingressus est vicesimus primus, cui nomen Jachin. Adhuc autem ministrabat, Tisri 10, Octobris 6, feria 5.

Calculus xi. Data ephemeriarum epocha, Tebeth 4, Decembris 2, feria 7, A. CH. N. 165 : Quæritur, quænam in ordine futura erat, Tisri 5, Octobris 1, feria 7, A. D. 67?

Intervallum illud a Decembris 2,	A. CH. N.	165
Usque ad Octobris 1.....................	A. D.	67
= annos		231 − 62 diebus.
Adjice, pro correctionibus kalendarii ...dies		−2
Totum intervallum = annos		231 − 64 diebus.

	d.	h.
Anni Juliani medii......200 =	73,050	0
30 =	10,957	12
1 =	365	6
231 =	84,372	18 quæ negligendæ.
Rejice dies	64	
Restant dies	84,308	

Jam vero dies 84,308 = septimanas 12,044 = 501 × 24 + 20.

Ergo idem colligitur quod antea. Nempe, confectis omnium ephemeriarum orbibus 501, egressa est vicesima, ingressa autem vicesima prima, quæ et Jachin, Tisri 5, Octobris 1, feria 7, A. D. 67.

Calculus xii. Postremo, epocha ephemeriarum a Tebeth 4, Decembris 2, feria 7, A. CH. N. 165, sumta; Quæritur, quænam in ordine futura erat, Ab 7, Augusti 2, feria 7, A. D. 70?

Intervallum illud a Decembris 2, A. CH. N.	165	
Usque ad Augusti 2.....................A. D.	70	
= annos	234—122	diebus.
Adde, pro correctionibus kalendarii...dies	—2	
Summa = annos	234—124	diebus.

		d.	h.	
Anni Juliani medii......200	=	73,050	0	
30	=	10,957	12	
4	=	1,461	0	
234	=	85,468	12	quæ negligendæ.
Subduc dies		124		
Restant dies		85,344		

Jam vero dies 85,344 = septimanas 12,192 = 508 × 24.

Itaque ergo, completis 508 omnium ordinum cyclis, Joarib, omnium primus, rursus in statione erat ad diem Ab 7, Augusti 2, feriam 7, A. D. 70: quod idem et antea demonstratum est, a prisca illa ephemeriarum epocha, Elul 30, Septembris 22, feria 7, A. CH. N. 536, rationibus initis. Operæ tamen pretium fuerit, hanc ipsam conclusionem ad id quoque, quod paulo antea confirmatum est, de Abija, ad Tisri 18, Septembris 30, feriam 7, A. CH. N. 6, ministrante, exigere: quem ad finem, Tisri 18,

Septembris 30, feria 7, A. CH. N. 6, tanquam nova omnium ordinum epocha est sumenda.

Calculus xiii.

Intervallum illud a Septembris 30, A. CH. N.		6	
Usque ad Augusti 2 ....A. D.		70	
= annos		75 − 59 diebus.	
		d.	h.
Anni Juliani medii	70 =	25,567	12
	5 =	1,826	6
	75 =	27,393	18
Adde collectas de proximo bissexto ante A. CH. N. 6 ...horas			18
Summa	=	27,394	12 quæ negligendæ.
Rejice dies		59	
Restant dies		27,335	

Jam vero dies 27,335 = septimanas 3905 = 162 × 24 + 17.

Ergo factum fuisset, ut post 162 omnium ephemeriarum cyclos jam antea confectos, duodevicesimus ab Abija ordo, id est, ipse Joarib, in statione futurus esset ad diem Ab 7, Augusti 2, feriam 7, A. D. 70. Nam Abijas octavus a Joarib; ergo Joarib duodevicesimus ab Abija; inter utrumque autem in medio septendecim.

Jam vero præmissis ac decisis ferme universis, quibus opus sit ad fidem eo faciendam, ut ephemeria Abijæ A. CH. N. 6, inter Septembris 30 atque Octobris 7, revera ministrix in Templo fuisse credatur; superest, ut paucis dicatur, quemadmodum illud ad Domini nostri natalem annum præfiniendum, et prærogativa quadam sua designandum, inserviat.

Nimirum e temporis notis, maxime præcisis ac maxime luculentis, quas Evangelia suppeditant, nos quidem illam enumeraverimus, quæ Divi Lucæ testimonio confirmata traditur: Dominum scilicet Jesum cum Baptismum Joannis subiret, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενον fuisse [i]. Quorum verborum sensum ac comprehensionem nullo ingenio aliud quiddam sonare coegeris, nisi quod Jesus, de quo ponuntur, annorum id temporis triginta exstiterit, nondum quidem ad finem perductorum, sed ad finem etiam tunc spectantium, atque a fine cummaxime parum admodum distantium.

Jam vero Baptismi Dominici epocham nemo, opinamur, ad citeriorem terminum quam Tiberii Cæsaris tertiumdecimum, U. C. 780, A. D. 27, retraxerit: plurimi fortasse ad longe ulteriorem quendam produxerint. Quibus tamen cavendum est, ne secundum vetus illud, in Scyllam incidant dum Charybdim vitare satagunt: cujusmodi in periculum quam gravissimum offendunt, qui Baptismum Domini eo usque ultra Tiberii Cæsaris tertiumdecimum prudentes differunt, ut nativitatem ejusdem post Herodis mortem vel prudentes vel imprudentes constituant. Mors enim Herodis neque ante annum A. CH. N. 4, neque post annum A. CH. N. 3, salvis chronologiæ rationibus consistere potest: nec pluribus tamen quam undetriginta ad summum annis Baptismum præcesserit necesse est. Hinc igitur Divus Lucas, obtestans atque intercedens, ne majorem natu quam triginta annorum Dominum suum, tunc cum baptizaretur, efficere contendas: illinc Josephus, atque ipsa in primis astronomia, non minus obnixe resistentes, ne mortem Herodis infra annum ante Christum natum 3

[i] Lucas iii. 23.

detrudas. Quos inter, quid potissimum sequendum, ut nulla veritatis jactura neque hinc neque illinc fieri debeat, argumentum hoc, a tempore quo ephemeria Abijæ apud Templum ministrabat sumtum, si quid aliud docebit.

Nam concesso quod ordo Abijæ in statione fuerit ad Tisri Judaïci 18, Septembris Juliani 30, feriam 7, A. CH. N. 6; calculis retro actis, ut idem antea in statione fuerit ad Aprilis Juliani 15, feriam 7, A. CH. N. 6; et calculis in antecedentia productis, ut idem in statione rursus futurus esset ad Martii 16, feriam 7, A. CH. N. 5: utrinque pari necessitate sequetur. Orietur igitur triplex quæstionis status, proinde ac visionem Zachariæ oblatam vel prima harum vice, Aprilis 15, seu deinceps, ad octavum usque postea diem, A. CH. N. 6; vel tertia, Martii scilicet 16, seu postea, infra octavum ab illo diem, A. CH. N. 5; vel secunda, quæ utrique media intercedit, a Septembris 30, usque ad Octobris 7, A. CH. N. 6, oblatam esse statueris. Pro singulis porro quæstionis hisce statibus, illud præterea disceptandum erit, an statim post finitam in Templo ministrationem, et reversum domum Zachariam, an aliquantum postea, Elisabethæ conceptus factus sit: utrumvis enim pari ipsius Scripturæ auctoritate supponi potest, alterutrum vero factum fuerit necesse est. De qua quæstione, argumenti gratia, nos id ipsum pro facto primum sumamus licet, quod contra rationes veritatis, quales illas nos quidem unice constare posse arbitrati simus, maxime repugnet. Itaque pro singulis illis quæstionis statibus, de quibus supra diximus, et quos ad examen mox redacturi sumus, excepto quarto ac postremo quodam, concepisse Elisabetham, quam primum post reversum domum Zachariam concipere potuerit, per nos licet fingatur.

Ad hujusmodi etiam disceptationem in genere, illud præterea principii loco, ex ipsa rei necessitate, adhiberi debet; si quid de intervallo, quod inter conceptum ac partum, secundum naturæ leges, intercedit, ex observatione ac traditione τῆς μαιευτικῆς, cujus peculiaris hæc provincia, dignosci ac constitui potest. Nam ejusmodi statum aliquod atque ordinarium tempus esse, quod naturale, atque humano generi commune sit, dubitari non potest; ad quod tum Joannis Baptistæ tum cum primis, pro communis cum ceteris hominibus naturæ veritate, Domini nostri exemplum conformatum esse, adeo verisimile est ut nihil supra.

Atque hoc in genere, de septimestri vel octomestri post conceptum partu, utpote cujus ratio in hujusmodi disceptatione habenda sit, loqui nolumus: etsi et septimestres et octomestres fieri partus solent, atque ejusmodi partus vitales, et de Domino nostro fuerunt ex antiquis qui septimestrem eum editum opinati sint. Septimestres tamen vel octomestres partus, uti apud omnes ferme convenit, præter naturæ generalem legem, potius quam contra eam fiunt; id est patiente et non prohibente natura, potius quam secundante vel præeunte: ideoque nunc ipsum in primis excipiendi prorsus et negligendi sunt.

De stato autem illo atque ordinario temporis intervallo, quadraginta ad summum hebdomadis circumscriptum esse tradiderunt antiqui; ita ut primo hebdomadis quadragesimæ die, id est cclxxiv ab inchoato in utero homine, partus edatur [k]. Neque e recentioribus, si quid accurationis nomine recentiorum observationi,

[k] Vide Censorinum, De die Natali, xi. A. Gellium, iii. 10. 16.

præ antiqua, in re eadem concedendum, aliquis temere ultra quadragesimam illam hebdomadam confectam, id est, ultra cclxxx a conceptione diem, terminum seu *προθεσμίαν* eandem propagaverit; nonnulli totis diebus decem, alii totis septem, anticipandam statuerint; illi cclxx plus minus diebus, hi cclxxiii maturari atque edi partum credentes.

Quas inter sententiarum diversitates, etsi tantulum adeo inter se discrepant, visum est nobis ab antiquissima observatione, (quæ et Pythagoræ, et de regionibus terrarum orbis orientalibus tradita,) stare: ac proinde, legitimum, ordinarium, justum, atque uno verbo naturalem generi humano ab utero exeundi terminum, ad cclxxv post conceptum diem constituere; qui mediam etiam rationem inter cclxx, citimam ejusdem, secundum nonnullos, ac cclxxx, extremam *προθεσμίαν*, secundum alios, obtinet. Notatum præterea ab antiquis, ac memoriæ consignatum est[1], clxxxiii post conceptum die, conceptum illud jam omnibus numeris suis absolutum, etsi nondum ad exeundum maturum factum esse: quod eo nobis contendere videtur, ut conceptum Domini post Joannem, (quod mense sexto, non citius, contigisse ipsa testatur Scriptura,) die clxxxiii postea factum optime statuendum sit; id est anni naturalis, sive civilis sive vertentis, medio fere puncto; quæ mensis sexti nondum quidem confecti, sed in eo, ubi jamjam conficiendus sit, versantis, justissima sane designatio. Jam vero ad propositum redeamus.

[1] Clemens Alex. ii. 810. 34—811. 5: Strom. vi. 16. Plutarchus, De Placitis Philosophorum, v. xviii. Moralia, iv. 446.

Casus, seu status quæstionis Primus.

Primum, de Joanne Baptista.

Ingressa est in Templum ephemeria Abijæ ministrandi caussa	feria 7, Aprilis 15,	A. CH. N. 6.
Egressa est eadem	feria 7, Aprilis 22	——— 6.
Domum reversus Zacharias	feria 1, Aprilis 23	——— 6.
Conceptus Joannes Baptista	feria 2, Aprilis 24	——— 6.
Natus Joannes, 275 postea die,	feria 3, Januarii 23	——— 5.

Secundo, de Domino Jesu.

Conceptus Dominus, 183 post Joannem die,	feria 2, Octobris 23,	A. CH. N. 6.
Natus Dominus, 275 postea die	feria 3, Julii 23	——— 5.

Ergo, A. D. 26, ad Julii 23, triginta annorum perfectorum Dominus. Itaque, post kalendas Januarii, A. D. 27, triginta annorum perfectorum et sex ferme mensium. Ergo, si ullo die post kalendas Januarii eo anno baptizatus, non triginta, ad summum, annorum, sed triginta unius, minimum, ἀρχόμενος. Ergo falsus (quod absit) Divus Lucas, qui contra tunc cummaxime prodit.

Casus, seu status quæstionis Secundus.

Primum, de Joanne Baptista.

Ingressa est ephemeria Abijæ,	feria 7, Martii 16,	A. CH. N. 5.
Egressa est eadem	feria 7, Martii 23	——— 5.
Domum reversus Zacharias	feria 1, Martii 24	——— 5.
Conceptus Joannes	feria 2, Martii 25	——— 5.
Natus Joannes, 275 postea die,	feria 3, Decembris 24	——— 5.

Secundo, de Domino Jesu.

Conceptus Dominus, 183 post Joannem die,
feria 2, Septembris 23, A. CH. N. 5.

Natus, 275 postea die..............feria 3, Junii 24 ——— 4.

Ergo undetriginta annorum perfectorum Dominus Junii 24, A. D. 26. Ergo kalendis Januariis, A. D. 27, undetriginta annorum, sex mensium, atque octo tantum dierum. Ergo si ullo tempore, post kalendas quidem illas, ante Pascha vero proximum, id est Aprilis 9, non minus quam lx vel lxx diebus (id quod ex Evangelio Joannis certissime colligi potest[m]) baptismum subierit; vix dici potuit ab auctore, alioquin veritatis et decori studiosissimo, qualis si quis alius Divus Lucas, ut triginta annorum *quasi perfectorum* existens baptizatus sit.

Casus, seu status quæstionis Tertius.

Primum, de Joanne Baptista.

Ingressa est ephemeria Abijæ, feria 7, Septembris 30, A. CH. N. 6.

Egressa est eadem ....feria 7, Octobris 7 ——— 6.

Domum reversus Zacharias......feria 1, Octobris 8 ——— 6.

Conceptus Joannes ....feria 2, Octobris 9 ——— 6.

Natus Joannes, 275 postea die, feria 3, Julii 9 ——— 5.

Secundo, de Domino Jesu.

Conceptus Dominus, 183 post Joannem die,
feria 2, Aprilis 8, A. CH. N. 5.

Natus, 275 postea die...........feria 3, Januarii 7 ——— 4.

Ergo triginta annorum perfectorum, Januarii 7, A. D. 27. Itaque nisi die quodam inter kalendas Januarii,

m Vide Dissertationes Nostras, xxi. vol. ii. 197–231. Cf. etiam Prolegomena, Caput iv, Partem Primam. Historiæ Evangelicæ Recensionem Chronologicam.

et diem septimum postea, eo anno baptizatus, non dici poterat tanquam incipiens seu ἀρχόμενος id temporis annorum triginta esse. Nam annorum triginta jam perfectorum factus esset: et potius annum tricesimum primum *adfectum*, quam tricesimum nondum *confectum* tunc habuisse dicendus erat. Et quamvis vetus traditio Ecclesiæ sit, Januarii 6, eo ipso die qui Theophaniorum sive Epiphaniorum nomine inter Christianos audit, baptizatum esse Dominum; tamen dies ille a Paschate primo et proximo nimium quantum remotus erat; et circa finem potius, quam principium Januarii Baptismi Dominici epocham revera excidisse, vel ex hac ipsa Ecclesiæ traditione in sequenti, uti speramus, capite fides constabit.

Sequitur casus seu status quæstionis quartus, quem nos quidem unice verum esse existimamus; qui Joannem non continuo post reditum Zachariæ domum, sed aliquantum temporis postea conceptum supponit: et pari ratione Domini quoque conceptum ac nativitatem utrumque in ulteriora prolatat. Ejus administratio sequentem ad modum procedit.

Casus, seu status quæstionis Quartus.

Primum, de Joanne Baptista.

Ingressa est ephemeria Abijæ,
Tisri 18, Septembris 30, feria 7, A.CH.N. 6.

Egressa est eadem...Tisri 25, Octobris 7, feria 7 ——— 6.

Domum reversus Zacharias,
Tisri 26, Octobris 8, feria 1 ——— 6.

Conceptus Joannes, Tebeth 27, Januarii 5, feria 6 ——— 5.

Natus, 275 postea die,
Marchesvan 6 ineunte, Octobris 5, feria 1 ineunte ——— 5.

Secundo, de Domino Jesu.

Conceptus Dominus, 183 post Joannem die,
Ab 1, Julii 5, feria 6, A. CH. N. 5.
Natus, 275 postea die,
Nisan 10 ineunte, Aprilis 5, feria 1 ineunte ——— 4.

Ergo undetriginta annorum factus erat vel Nisan 10, Martii 17, vel Aprilis 5, A. D. 26. Ergo kalendis Januariis, A. D. 27, undetriginta annorum, et cclxxi vel ccxc dierum erat; et circa finem mensis ejusdem, undetriginta annorum, et ccci vel cccxx ferme dierum, id est decem vel undecim præterea mensium: quod auctor quivis, etsi gravissimus, et veritatis ac probabilitatis studiosissimus, qualis est Divus Lucas, tamen non immerito triginta annorum, quasi jam confectorum, ætatem et summam valere dixerit.

CAPUT III.

De Die Natali, et Die Baptismi, Domini nostri, Jesu Christi; utroque ex epochis quibusdam veterrimis eruendo.

SI quid testimonii, ab ima antiquitate Christiana petitum, ad diem natalem Dominicum constituendum faceret; id omne, quantum unius diligentia investigare atque adsequi potuit, a nobis collectum, atque in Dissertationibus nostris propositum est[a]. Controversiam igitur super hac quæstione rursus movere, idem videri potest ac si quod actum et decisum sit agere, aut opiniones ipsi nostras convulsum ire contenderemus: quorum tamen neutrum in animo est facere.

De longitudine quidem ministerii Dominici testimonium habemus, verbis conceptis expressum, et fide auctoris gravissimi atque ejusdem antiquissimi munitum, Melitonis scilicet, Sardensis episcopi[b], qui temporibus Antonini Pii et Marci Aurelii floruit[c]: unde sententia illa, quæ sese ad vulgus, tanquam ex intimis antiquitatis medullis depromtam, jactare solet, et doctrinam Domini in carne spatio anni unius circumscribere gestit, falsitatis ac vaniloquentiæ coarguitur. De die vero natali Dominico nihil satis certi et satis antiqui exstare, pæne apud omnes in confesso est: quod tamen aliquis jure miratus fuerit, siquidem dies ille (quæ nostra in primis sententia) Nisan Judaïci decimus revera fuerit. Neque enim temere factum quis existimaverit, ut hoc potissimum die natus sit in carne

a Diss. xiii. vol. i. 438–465. Appendix, Diss. xiii. vol. iii. 585–642. b Vide Diss. xiii. vol. i. 451. c Vide Appendix, Diss. xxvii. vol. iv. Pars ii. 590. 591. 599 et sqq.

Dominus: qui eodem prorsus jure, atque iisdem omnino de caussis, sicut Nisan quartodecimo passus, sextodecimo autem resuscitatus, ita decimo mensis ejusdem die in lucem editus est. Et sane horum natalium epocha, cum ab Hippolyto Portuensi episcopo, tum ab auctore anonymo, qui ipsi et Cypriano Carthaginiensi episcopo ætate æqualis erat, apud Tabulas ipsorum Paschales, alteras ad A. D. 222, alteras ad A. D. 241 pertinentes, constituta est, quæ ad hujus rei veritatem quam proxime accedit, etsi rei ipsius caput non attingat[d]. Si quid præterea, vel pari antiquitatis laude vel etiam majore commendatum, in eodem genere, testimonii exstiterit; id dubiæ fidei huc usque habitum, aut minus accurate, quam par erat, perceptum et tractatum fuerit, necesse est: idem enim obscuritatis super hac quæstione, quod semper obtinuit, nunc cummaxime obtinere, atque etiam in dies magis ingruere, communis omnium querimonia est.

Exstat tamen singulare hujusmodi testimonium, quod et ipsum sui generis longe antiquissimum est, atque a viro ecclesiastico inter antiquissimos recensendo, memoriæ consignatum; quod neque a nobis cum Dissertationes nostras commentaremur, neque ab ullo alio, quod nos quidem scimus, satis intellectum fuisse videtur: cujus tamen auxilio, nisi magnopere falsi sumus, tum de Die Natali Dominico, tum de Die Baptismi, tum de Die Emortuali, quales illi ex kalendario Judaïco ad initium usque sæculi secundi propagati fuerint, probabilis admodum conjectura fieri potest. Hoc igitur retractare, atque adjuvante numine Divino, numquid ex eo, quod antehac minime suspicati sumus, erui ac deprehendi possit, explorare, operæ pretium visum est.

d Vide Dissertationes nostras, Diss. xiii. vol. i. 460–462: Appendix, xiii. vol. iii. 620–625: et Diss. xxvii. Supplementum ii. vol. iv. Pars ii. 717–720.

Reperitur testimonium illud apud Clementem Alexandrinum, Operum i. 407. l. 18: Strom. i. 21.: qui quidem locus, etsi a nobis jam antea citatus [e], tamen de novo coram sistendus est.

Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες· ἥν φασιν ἔτους κη΄ Αὐγούστου ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι. οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, προδιανυκτερεύοντες ἀναγνώσεσι. φασὶ δὲ εἶναι τὸ πεντεκαιδέκατον ἔτος Τιβερίου Καίσαρος, τὴν πεντεκαιδεκάτην τοῦ Τυβὶ μηνός· τινὲς δὲ αὐτὴν ἑνδεκάτην τοῦ αὐτοῦ μηνός. τό τε πάθος αὐτοῦ ἀκριβολογούμενοι φέρουσιν οἱ μέν τινες τῷ ἑκκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου Καίσαρος, Φαμενὼθ κε΄· οἱ δὲ Φαρμουθὶ κε΄· ἄλλοι δὲ Φαρμουθὶ ιθ΄ πεπονθέναι τὸν Σωτῆρα λέγουσιν. καὶ μήν τινες αὐτῶν φασι Φαρμουθὶ γεγεννῆσθαι κδ΄ ἢ κε΄.

Harum epocharum pars ad diem natalem Domini spectat; pars ad diem baptismi; pars ad diem emortualem. De die natali epocha triplex constituta est; Pharmuthi Ægyptii 24, Pharmuthi Ægyptii 25, Pachon Ægyptii 25: de die baptismi duplex, Tybi Ægyptii 11, Tybi Ægyptii 15: de die emortuali triplex, Phamenoth Ægyptii 25, Pharmuthi Ægyptii 19, Pharmuthi Ægyptii 25: e quibus, missis ad tempus factis quæ de die baptismi tradita sunt, ad epochas natales atque emortuales in præsenti prævertendum est.

Comparatis igitur inter se hisce epochis, illud omnium primum notandum est, auctores ipsarum sin minus omnes, nonnullos tamen, qui dies Domini natalis, eumdem etiam mortis fuisse opinatos: nam Pharmuthi 25 pro utroque constituebant. Unde suspicio vel

[e] Appendix, Diss. xiii. vol. iii. 608, 609.

maxima subnasci potest, vel in epochis ad diem natalem, vel in epochis ad diem emortualem pertinentibus, numerorum errorem quendam in textum Clementis admissum; et proinde alteras ab alteris corrigendas. Duplex enim diei emortualis epocha traditur, Pharmuthi 19 et Pharmuthi 25: duplex etiam, ac pæne uno ore, diei natalis, Pharmuthi 24 et Pharmuthi 25: quarum posteriorem utramque ad priores respicere, et verisimilitudini maxime consentaneum est, et ferme ab ipso Clemente, in sequentibus, *καὶ μὴν τινες αὐτῶν φασι Φαρμουθὶ γεγεννῆσθαι κδ′ ἢ κε′*—innui videtur. Quare vel Pharmuthi 24 et 25, in loco priore, de epochis emortualibus, vel Pharmuthi 19 et 25, in posteriore, de epochis natalibus, omnino legendum ac rescribendum esse censuerimus. Nihil autem apud scriptores antiquos adeo corruptioni obnoxium esse, ac numeros nude positos, apud eruditos constat: et quam proclive foret, notas numericas *ιθ′* in *κδ′*, aut *κδ′* in *ιθ′*, paulatim transire, nemini non videre ac judicare licet. Multo tamen probabilius dixerimus posteriores e prioribus, quam priores e posterioribus refingendas. Itaque triplex orietur diei natalis epocha, Pharmuthi 19, Pharmuthi 25, et Pachon 25: triplex etiam diei emortualis, Phamenoth 25, Pharmuthi 19, et Pharmuthi 25: quarum posteriorem utramque secundæ classis ad dua spriores primæ respectum vel maximum præ se ferre, primam autem secundæ ad ultimam primæ nullo modo respicere, etiam sponte patet.

Deinde, ut missa fierent cetera omnia, quæ ad hanc epocharum hujusmodi recensionem pertinerent; duæ exstarent epochæ, ad diem natalem Domini spectantes, Pharmuthi 25 ac Pachon 25, e mensibus quidem Ægyptiis binis ac continuis petitæ, non minus tamen quam dierum triginta continuorum spatio ab invicem

discretæ: quod nimium quantum nemo non arbitratus fuerit, de eadem re et de eodem tempore, ita ut utrinque constare possit, positum. Igitur nisi utrumque rejiciendum, aut alterum saltem tanquam adulterinum ac spurium notandum sit; res ipsa postulat ut num quo ingenio inter se conciliari possint dispiciamus: quod nos quidem factum iri non desperamus; tametsi contradictionem quandam ejusmodi conciliatio primum sonare videatur. Pauca tamen, tum de ætate ipsius Clementis, tum de auctoribus harum epocharum, tum de anno Ægyptio in genere, præfationis loco disserenda sunt.

Clementis ipsius ætatem non infra Commodi Cæsaris supremum annum, id est U. C. 945, A. D. 192, cadere, ex ipsius testimonio patet[f]: contra etiam, siquidem confirmatæ, ac fortassis plusquam confirmatæ, ætatis fuerit, cum Stromata sua condiderit, ultra medium sæculi secundi terminum memoriam ejus adscendere, longe verisimillimum est. De auctoribus epocharum, Basilides quidem ejusque sectatores nominatim citantur: quod eo facere ut ne unam quamvis ex epochis istis Basilide recentiorem fuisse colligamus, non autem ut omnes et singulæ a Basilide atque ejus asseclis originem traxerint, nobismet persuasum habemus. Nam Basilides auctor ad unam baptismi epocham profertur: de qua tametsi fides penes ipsum consistat, tamen idem de ceteris etiam, quæ simul recensentur, nequaquam sequetur. Quod notatu in primis dignum est; non ut fides unius baptismi epochæ derogetur, sed ut ceteris etiam auctoritas sua constet: quæ eo magis adcrescit, quo epochæ ipsæ non tamquam ab uno quovis auctore profectæ, sed

f Apud Dissertationes nostras; Append. xiii. vol. iii. 608–614.

ut populares quædam, ac vulgo receptæ, et, quod maximum, etiam baptismi epochæ, a Basilide traditæ, ætate suppares atque æquales, a Clemente ipso recensitæ existimentur. Quod nobis judicibus verissimum est, atque ad mentem ipsius, quantum nos quidem adsequi possumus, quam proximum. Neque enim ut hæresiarcharum commenta, quæ fidelibus omnibus ac veritatis amantibus cavenda essent, opiniones istas profert; neque gravioris delicti notam in auctores ipsarum inurit, quam περιεργίας cujusdam crimen; quasi non contenti de anno natali Dominico sapere, etiam in diem curiosius inquirerent.

Quod autem ad ætatem Basilidis adtinet: memoriæ proditum est cum ipsum, tum Saturnilium vel Saturnilum, natione Syros, utrumque Menandri discipulos fuisse; Menandrum vero Simonis Magi: quem A. D. 37, cum maxime Samaria verbum Domini recipiebat, Philippo Evangelistæ et Petro Apostolo æqualem fuisse ex Actibus Apostolorum discimus. Simonem postea hæresin condere aggressum; tandem sub Nerone Cæsare, ideoque non post annum Neronis supremum, Æræ Vulgaris 68, Romæ mortem obiisse, constans Ecclesiæ traditio est[g]. Mox, Saturnilo Antiochiæ vel apud Syriam subsistente, Basilidem, regnante Hadriano, in Ægyptum concessisse; ubi et sectatores ejus jam ad tempus usque Clementis Alexandrini adhuc superstites erant. Quæ omnia si satis sibi cohærent, nulla sententia, Basilide auctore, post annum Hadriani Cæsaris ultimum, Æræ Vulgaris 138, inter Ægyptios disseminari cœpta fuerit; si quid ex ejus potissimum schola ad eosdem manaverit, idem multo propius ad annum Hadriani primum A. D. 117, quam ad supremum A. D. 138 accedere, longe verisi-

[g] Vide Dissertationes nostras, ii. vol. i. 118, 119. et xxi. vol. ii. 218, not.

millimum erit. Id quod ex anni Ægyptii natura mirum in modum illustrari et confirmari potest.

Annus nimirum Ægyptius ab ultima vetustate, et nescio an ab ipsis mundi cunabulis, semper ejusmodi fuit qui a chronologis *vagus* dicitur: id est, diebus tercentum sexaginta quinque, sine ulla intercalatione, perpetuo conficitur. Qui, si ad annum vertentem seu naturalem, ac multo magis si ad annum Julianum, medium atque æquabilem, diebus scilicet tercentum sexaginta quinque, atque horis sex, constantem, comparetur; singulis quadrienniis seu bissextis die uno et nocte una brevior factus videatur necesse est. Itaque mobilis et vagus ejusmodi annus dicitur, relatus tamen ad annum immobilem ac fixum quendam, qualis est Julianus, tantum: quia primus ejus dies, etsi cum principio anni Juliani dato quovis tempore commissus, initio exinde sumto per singulos postea menses Julianos, et per singulos mensium dies, retro vagari, et pedetentim subsidere, æqualibus tantum decrementis seu decessionibus, solitus sit.

Anno A. CH. N. 30, sive ut quibusdam placet, 25, post captam ab Octaviano Cæsare Alexandriam, et redactam in formam provinciæ Romanæ Ægyptum, annus ille vagus legibus anni Juliani obnoxius fieri, atque ad certum ac stabile quoddam sui principium deligari cœptus est. Quod tamen apud Alexandrinos tantum factitatum; unde nova hæc anni civilis forma, quæ nihil a vetere ac populari nisi primam suam epocham, cetera omnia de anno Juliano mutuata est, annus Ægyptius, Alexandrinis proprius ac peculiaris, audit: apud reliquos Ægyptios atque eosdem indigenas, antiquus et pristinus, idemque vagus, nihilo minus quam antea

usu teri ac celebrari perstitit. Ab hoc igitur tempore, sive A. CH. N. 30, sive A. CH. N. 25, cum duplex fuerit apud Ægyptios una atque eadem tempestate anni civilis forma; nihil est caussæ, cur datas quasvis epochas, in terminis kalendarii Ægyptii expressas, pro re nata sive ad hanc sive ad illam exigendas non putemus: præsertim, cum ad eandem redactæ inter se conflictentur, aut alioqui rationibus verisimilitudinis repugnent; ad diversas autem non item.

Nam ordo quidem et nomina mensium in utrovis annorum istorum kalendario prorsus idem erat; et secundum utrumvis, mensis octavus Pharmuthi, mensis nonus Pachon, prodit. Apud Alexandrinum autem ac fixum, cujus epocha, de recepta chronologorum sententia, in anno communi ipsorum, Augusti Juliani 29, in anno bissexto, Augusti 30; Pharmuthi 25 Aprilis 20, Pachon 25 Maii 20, perpetuo responderit necesse est. Quare si dies natalis Domini, et dies emortualis, unus et idem fuerit; uterque autem, ordine suo, in anni Ægyptii et fixi unum eundemque Pharmuthi 25, inciderit: Aprilis Juliani, uno atque eodem etiam, 20 et natus Dominus, et denatus fuerit, necesse est. Quod tametsi quisquam de die natali Dominico tolerandum forsan crediderit; idem tamen de die emortuali nemini non intolerandum videri debuerit: nullo enim ingenio fieri potest, ut dies Dominicæ passionis, qui cum stato Paschæ die, Nisan 14, in anno sacro concurrerit necesse est, circa hanc in primis tempestatem, (quicquid de Pascha temporibus retroactis obtinere potuisset,) cum Aprilis Juliani 20 commissus esse putetur. Quare, aut temere posita hæc omnia, et nulla prorsus auctoritate dignanda, aut epocha illa, quæ certo quodam die *natum* Dominum, et procedente tempore eodem ipso *denatum* etiam

prodit, Pharmuthi scilicet Ægyptii 25; non de anno Ægyptio fixo, seu Alexandrino, sed de altero illo, apud ceteros Ægyptios usitato, ac vago, profluxerit.

Jam vero, cum is sit hujus anni genius, ut nulla quævis epocha de eo sumta, relatione ad annum quemvis fixum, qualis est Julianus, facta, æquabilis, et stata, ac constans perseveret; omnes perpetuo fluctuent ac retro ferantur; sequitur ut qui dies, apud kalendarium Ægyptium vagum, natalem Domini cum maxime natus est, accurate, si ita placet, repræsentaverit, idem ultra quatuor ad summum annos eumdem repræsentare diutius non possit. Isque error, per multos annos propagatus, non intra dies consistet; sed ad hebdomadum ac mensium, ipsorum denique annorum, si ita fors tulerit, intervallum adscendere perget. Quæ cum ita sint, mirum profecto fuisset, nisi inter duas quasdam ex epochis nostris, de eadem re positas, quales sunt Pharmuthi 25 et Pachon 25, de uno die natali Dominico constituti, primo intuitu discrepantiæ quiddam, salva utriusque auctoritate, sese obtulisset: et quo verior utravis per se spectata esset, nisi altera ad alteram collata, eo repugnantiores inter se et discrepantiores visæ fuissent.

Etenim inter Pharmuthi 25 et Pachon 25 spatium triginta dierum, seu mensis unius Ægyptii, pleni ac solidi tamen, intercedit. Mensis autem unius Ægyptii et pleni, sive triginta dierum spatium exactum, anni vagi ac mobilis ad Julianum ac fixum relati retrocessionis summam, annis centum viginti continuis collectam, valet. Quare omnino probabile videri debet, Pachon 25 de die natali Dominico ab auctoribus harum epocharum prudentibus constitutum; tamquam unum prorsus atque idem temporibus suis, ac Pharmuthi 25, aut si quis

alius fuerit mensis ejusdem dies, 120 minimum prius annis, valentem. Igitur cum annus natalis Domini, secundum has ipsas traditiones, Augusti Cæsaris duodetricesimus prodeat; Augusti autem Cæsaris duodetricesimus, secundum Ægyptiorum computum, cum mense Alexandrino Thoth, (sive Augusti sive Septembris Juliani die quodam,) A. CH. N. 3, procedere instituerit; A. D. 116 tantum primum fieri potuerit, ut Pachon 25, apud annum Ægyptium et vagum, idem id temporis valere cœperit, ac Pharmuthi 25, apud eumdem, A. CH. N. 3: etsi deinceps usque ad A. D. 120 idem etiam fieri posse pergeret. Unde, conjectura quam maxime probabili, de harum epocharum etiam *epocha* ipsa, (de qua, antiquitatis ratione, quid statuatur, ad præsentem quæstionem plurimum interest,) certiores quodammodo fieri possumus; nimirum, etsi ultra A. D. 116 adscendere nequire, tamen infra A. D. 120, Hadriani Cæsaris tertium, easdem haud ita multum demitti posse: quod mirum in modum et cum iis quæ de Clementis Alexandrini ætate, et cum primis de Basilidis ipsius in Ægyptum, temporibus Hadriani, profectione, superius dicta sunt, consenserit.

Quanquam, ut verum profiteamur, de epochis istis Clementinis, tum inter se, tum cum rationibus probabilitatis, atque inprimis cum anni Ægyptii genio ac proprietatibus comparatis, nondum satis nobis constat; et vitiositatis suspicio numeris ejus, sin minus omnibus nonnullis tamen, quam maxima inhæreat, necesse est. Etenim si natus est Dominus, verbi gratia Pharmuthi 25, in anno Ægyptio vago; eodem ipso die post triginta annos, ne dicamus tres ac triginta, denatus esse non potuit: retrogradatio enim anni vagi, per triginta tantum annos facta, ad septem, minimum, dies cumulata fuisset; per tres autem et triginta, ad octo usque

adscendisset, necesse est. Ergo cum duæ sint epochæ diei natalis, Pharmuthi 19 et Pharmuthi 25, duæ autem diei emortualis, Pharmuthi 19 et Pharmuthi 25; epocham diei natalis, Pharmuthi 19, unice veram esse crediderimus; epocham mortis huic respondentem, levi correctione, sed admodum necessaria, Pharmuthi 27, non Pharmuthi 25, rescribendam. Facilis enim ac proclivis κζ′ in κε′ corruptio. Et quo verior fuerit illa Pharmuthi 19 epocha, de natali Dominico posita, eo certior, et magis necessaria, alterius illius, Pharmuthi 27, pro Pharmuthi 25, de morte ponendæ, correctio. Inter natum enim, et denatum seu passum Dominum, anni tres et triginta, sive Ægyptii sive Juliani, exacti erant. Annorum autem trium ac triginta Ægyptiorum, ad totidem Julianos relatorum, octo diebus solidis stat recessio. Quare quo certius sit Pharmuthi 19 natum esse Dominum, eo et certius fuerit Pharmuthi 27 denatum. Epochas autem illas alteras, Pharmuthi sive 25 sive 27, de die natali, et Pharmuthi 19, de die mortis, constitutas; utramque ex illo perperam intellecto, quod perpetua traditione memoriæ proditum erat, profluxisse arbitrati simus: nempe quod dies mortis Dominicæ, quisquis ille fuit, et quandoquando mors illa contigit, idem fuerit qui et nativitatis. Quod pro rationibus nostris, de anno Juliano, verissimum est: nam et natus Aprilis 5 in anno illo, et denatus Aprilis 5 in eodem, Dominus noster; sicut jam antea a nobis per innumera fere argumenta probatum est.

Hisce igitur præmissis, eo consilio ut via ad ea quæ sequuntur facilior ac tutior patefiat; animadvertendum inprimis est singulas hasce epochas, tametsi in terminis anni Ægyptii, ejusdemque solaris, conceptas, tamen de anno lunari, et de epochis quibusdam apud annum

ejusmodi primum ac proprie locum habentibus, intelligendas esse. Quod etiam sponte patet. Omnes enim de rebus inter Judæos gestis, aut ad hoc aut ad illud definiendum, constitutæ sunt: de quibus unde nisi a Judæis ad alienos notitia profluxerit? Quid autem ab ipsis Judæis, ad tempora rerum apud se gestarum exteris nota facienda, nisi e kalendario suo depromtum, et terminis quibusdam gentilibus ac vernaculis conceptum, emanare potuerit? Dominum scilicet Jesum, sive hoc sive illo die, in anno suo natum; sive hoc sive illo baptizatum; sive hoc sive illo passum. De quorum singulis, quid eodem in genere apud alienos constare posset, similiter exprimendum ac similiter intelligendum; nisi comparatione inter morem ejusmodi loquendi sibi proprium, et Judæum, (id est inter computationem temporis singulis propriam, ac Judæis usitatam,) prius facta? Fastos autem Judæorum non ad solis, sed ad lunæ rationes directos esse, et propterea, inter computationem lunarem proprie dictam, et suam cujusque gentilem, eum in finem comparationem institui debere; nulli ex antiquis populo, sub hæc præsertim tempora, nedum Ægyptiis, in vicinitate Judææ degentibus, atque innumeros pæne Judæos apud se inquilinos habentibus, ignotum esse poterat.

Quare, omnium primum, experimenti gratia, periculum faciendum videtur, an forte ad annum lunarem sacrum, atque eundem Judæorum proprium ac civilem, epochæ istæ accommodatæ sint: quas duas potissimum esse constituamus licet, unam, de die natali, Pharmuthi 19, alteram de die emortuali, Pharmuthi 27. Quod ad annos autem, quibus singulæ contribuendæ sint, posterior etiam se teste ad sextum decimum Tiberii Cæsaris, qui idem est verus, A. D. 30, recidit; unde de priore securi esse possumus; quæ pari prorsus jure, et pari

ratione, ad annum A. CH. N. 4, atque eundem revera Domini natalem, respicere debuerit.

Jam vero anno A. CH. N. 5, caput anni vagi Ægyptii, sive primus dies primi ejusdem mensis, seu Thoth, pro computo vulgari, in Augusti Juliani 24 incidit. Ergo primus dies mensis octavi, seu Pharmuthi, Martii 22, A. CH. N. 4: undevicesimus, Aprilis 9. Aprilis autem 9, apud annum lunarem sacrum, A. CH. N. 4, Nisan 13 respondebat. Pari ratione, A. D. 29, primus dies Thoth vagi Augusti 16: primus dies Pharmuthi Martii 14, A. D. 30: vicesimus septimus Aprilis 9: qui dies, eo ipso anno, Nisan Judaïcum et sacrum 18 referebat: quo die non passus est Dominus, sed jam diem tertium a mortuis excitatus erat. Itaque neque epocha prior Ægyptia, A. CH. N. 4, Nisan Judaïcum 10, neque epocha eadem posterior, A. D. 30, Nisan Judaïcum 14 ad amussim repræsentaverit; et tamen eo contendere utramque ut repræsentent, et nimis prope accedere ad repræsentandum, ut fidem non faciant, minime gentium fortuito et temere, sed consulto atque a prudentibus ipsas potissimum electas, quæ apud annum Ægyptium solarem ac vagum, temporibus rerum gestarum quarumdam, e kalendario Judæo desumtis, quodammodo responderent: ex ipsa collatione apparet. Itaque nondum rejiciendas esse, etsi experimentum de illis primum nostrum non satis feliciter processerit, censemus; sed alio quodam modo tentandas, atque interpretandas. De modo igitur tentaminis illo, si quis excogitari potest, (et nos quidem excogitari posse confidimus,) jam consideremus oportet.

Nam dum in annum Græcorum lunarem, a Solonis temporibus usque ad Julium Cæsarem, inquirimus,

videmur nobismet in triplicem anni Syro-Macedonis formam, atque abs triplici epocha profectam incidisse; unam quæ apud ceteros Græcos, alteram quæ Antiochiæ potissimum Syriæ, tertiam quæ in Ægypto usu recepta fuerit. Et omnes quidem uno atque eodem anno, omnes etiam circa unam atque eandem anni tempestatem, natæ sunt; ita tamen, ut secunda a prima mense lunari toto, tertia a secunda tribus diebus distaret. Quali autem investigatione ad horum discriminum perceptionem ducti simus, nimis longum esset in præsenti rationem reddere. Ceterum kalendaria tria, seu potius kalendarium unum triplex, ad hasce hypotheses adornavimus, atque adornatum penes nos habemus; unde levissimo negotio de quavis epocha, atque ad quemlibet horum annorum pertinente, periculum facere licet: cujusmodi exemplum unum, quod et e re præsenti futurum sit, et pro iis quæ dicta sunt fidem quodammodo facturum, adducendum esse censemus.

Exstat apud lapidem illum celeberrimum, qui de vicinitate prisci Canopi non ita pridem in Angliam ex Ægypto advectus, nomine Lapidis Rosettæ (*the Rosetta Stone*) apud nos audit, insignis epocha; quæ Xanthici Syro-Macedonis quartum, ac Mechiris Ægyptii duodevicesimum, utrumque ad annum Ptolemæi Epiphanis nonum pertinentem, inter se committit. Annus ille cum primo die Thoth Ægyptii ac vagi anno A. CH. N. 197 iniit: primus autem dies Thoth Ægyptii et vagi, anno A. CH. N. 197, cum Octobris Juliani 11 concurrebat. Unde primus dies sexti ejusdem mensis, sive Mechiris, Martii 10, anno A. CH. N. 196: duodevicesimus Martii 27. Ergo Xanthici Syro-Macedonis quartus dies apud Ægyptios, A. D. 196, cum Martii 27 concurrerit necesse est.

Jam vero secundum kalendarium nostrum, neomenia Nisan apud Judæos, A. CH. N. 196, Martii 20 inibat. Quod si pro meridiano Hierosolymitano revera contigerit, idem etiam pro meridiano Alexandrino obtinuerit; quod inter atque Hierosolymitanum nihil ultra tertiam horæ partem discriminis interest. Atque hinc fides kalendarii nostri magnopere confirmatur; nam calculis initis novilunium verum, pro meridiano Alexandrino, mense Martio, A. CH. N. 196, Martii 20, circa 6, 35 P. M. commissum esse reperietur. Quod cum ita fuerit, mensis Xanthicus, qui die ejusdem 24 inierit, non cum novilunio, sed cum quarto lunæ die, inierit necesse est: unde kalendarium ipsum, e quo hæc epocha depromta est, non ad amussim illud cum lunæ rationibus convenisse, sed tribus aut quatuor diebus in excessu peccasse, sponte patet. Quod tamen de fide ejus, secundum hypothesim nostram, ne tantillum quidem derogare debet; siquidem ejusmodi excessum quendam etiam in capite kalendarii primitus constituendo, atque haud scimus an prudenter, admissum jam antea monitum est. A capite igitur isto, secundum leges Periodorum Calippicarum, cyclorum autem Metonicorum in genere, arcessatur epocha anni lunaris Ægyptii, qui cum anno vago, A. CH. N. 197–196, decurrere cœperit. Ea in Dii 1, Octobris 27, cadere reperitur. Unde utriusque anni diagramma seu schema sequentem in modum adornandum est.

A. CH. N. 197–196.

Annus Ægyptius vagus. Epocha Octobris 11.				Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Octobris 27.		
Menses.					Menses.	
i Thoth	Oct. 11	A. CH. N. 197			i Dius	Oct. 27.
ii Phaophi	Nov. 10	—— —		Exemt. 9.	ii Apellæus	Nov. 26.
iii Athyr	Dec. 10	—— —			iii Audynæus	Dec. 25.
iv Chœac	Jan. 9	A. CH. N. 196		—— 12.	iv Peritius	Jan. 24.
v Tybi	Feb. 8	—— —			v Dystrus	Feb. 22.
vi Mechir	Martii 10	—— —		—— 15.	vi Xanthicus	Martii 24.
18 Mechiris, Martii 27.					4 Xanthici,	Martii 27.

Quare, cum ex tam luculento exemplo et anni lunaris forma quædam jam tum ab anno A. CH. N. 197–196 in Ægypto usitata fuisse, et simul kalendarii nostri ad eam ipsam directi veritas demonstrata esset; subnata est nobis vehemens quædam suspicio, epochas istas, ad Domini nostri cum natalem tum emortualem annum spectantes, etsi in terminis anni solaris Ægyptii expressas, tamen de hoc anno lunari, gentis suæ proprio ac vernaculo, desumtas esse, ac pro Judæis tamquam eodem omnino redeuntes substitutas. Cujus suspicionis veritatem operæ pretium duximus tum pro anno A. CH. N. 4, tum pro anno P. CH. N. 30, ad calculi examen redigere. Didicimus autem ex Josepho [h], Xanthicum Syro-Macedonem et Nisan Judaïcum unum atque eundem reputandum esse. Ergo decimus Xanthici idem futurus est quod decimus Nisan: quartus decimus Xanthici idem ac quartus decimus Nisan: illorum autem utrumque cum Pharmuthi Ægyptio 19, horum cum Pharmuthi 27, convenire oportet, si conjectura nostra non prorsus a vero abhorret.

Et dierum quidem ac noctium decursus tum Judæis tum Ægyptiis communis erat; scilicet a solis occasu ad

[h] Vide Prolegomena, caput i. 59–61.

solis occasum observandus: quod de Judæis nemini ignotum. De Ægyptiis autem idem tum ex aliis ac luculentis satis testimoniis constat, tum in primis e Claudio Ptolemæo; cujus Mathematicæ Compositionis perpetua ferme consuetudo est, primum mensis cujusvis Ægyptii diem (verbi gratia Thoth) a meridie ineuntem (quæ est ejus computatio) cum secundo ejusdem, tanquam intervallo quodam temporis, quale est illud quod inter meridiem ac solis occasum de more interest, id est sex ferme horis, anticipato ac præsumto, comparare. Hujus consuetudinis nulla tam prompta ac simplex, neque ulla tam certa explanatio est, quam quod dies civilis apud ceteros Ægyptios a solis occasu, dies astronomicus apud unum Ptolemæum duodeviginti postea horis, a meridie scilicet, inchoari ac numerari solitus erat.

Exstant et alia hujus rei indicia; quibus tamen in præsenti brevitatis ac compendii gratia supersedendum ducimus. Satis dictum est, opinamur, ad fidem eo faciendam, dierum scilicet observationem, apud Ægyptios atque apud Judæos, prorsus unam atque eamdem fuisse; apud utrosque autem a solis occasu ad solis occasum processisse: etsi contra et a Plinio, et a nonnullis aliis traditum sit, qui idem illud de Ægyptiis a media nocte ad mediam noctem testantur: quorum etiam testimonium viris permultis doctis super hac quæstione fraudi fuit. Et tamen traditio illa Pliniana, uti nobismet persuasum habemus, unius potissimum Hipparchi auctoritate nititur; de quo sane constat, a media nocte ad mediam noctem quatuor ac viginti horarum ambitum unum ab illo circumscriptum esse; sed eodem prorsus jure, atque eodem consilio, quo et Ptolemæus idem postea intervallum a meridie ad meridiem dimensus sit; id est, ad diem astronomicum unum, non autem civilem unum, constituendum.

Illud præterea monendum est, de ordine scilicet mensium ac magnitudine cyclis Calippicis seu Metonicis usitata; non necessario unam atque eamdem illam esse, nisi statis sui temporibus: quod contra de mensibus Judæis semper obtinet, quos perpetuo a *cavis* ad *plenos*, nunquam autem a *plenis* ad *cavos*, procedere, jam antea monuimus [i]. Ex hac autem discrepantia, nisi ab ea caveamus, fieri potest, ut unius diei discrimen a calculis nostris prodatur, quod revera fortasse non obtinuerit, sive per accidens tantum locum habuerit. Ad comparationem igitur illam, quam instituere in animo habemus, omnino necessarium videtur, epochas quidem annorum singulorum cum terminis suis Julianis e kalendario Ægyptio secundum leges ejus haurire; decursum autem ac mensuram mensium, nisi ubi a *cavis* ad *plenos* procedant, quod vix minus sæpe fit, non item; sed de more Judæis usitato mutuari: ad quem etiam longe verisimillimum est, epochas easdem ipsas ab auctoribus suis jam inde a principio conformatas esse.

A. CH. N. 5–4.

Annus Ægyptius vagus. Epocha Augusti 24.			Annus Lunaris Ægyptius. Epocha Novembris 4.	
Menses.			Menses.	
i Thoth	Aug. 24 A. CH. N. 5			
ii Phaophi	Sept. 23 —— —			
iii Athyr	Oct. 23 —— —	29	i Dius	Novemb. 4.
iv Chœac	Nov. 22 —— —		ii Apellæus	Decemb. 3.
v Tybi	Dec. 22 —— —	29	iii Audynæus	Januarii 2.
vi Mechir	Jan. 21 A. CH. N. 4		iv Peritius	Januarii 31.
vii Phamenoth	Feb. 20 —— —	29	v Dystrus	Martii 2.
viii Pharmuthi	Martii 22 —— —		vi Xanthicus	Martii 31.
19 Pharmuthi, Aprilis 9.			10 Xanthici, Aprilis 9.	

i Prolegomena, caput primum.

A. D. 29–30.

Annus Ægyptius vagus. Epocha Augusti 16. Menses.					Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Octobris 31. Menses.	
i Thoth	Aug. 16	A. D. 29				
ii Phaophi	Sept. 15	—	—			
iii Athyr	Oct. 15	—	—	29	i Dius	Octobris 31.
iv Chœac	Nov. 14	—	—		ii Apellæus	Novemb. 29.
v Tybi	Dec. 14	—	—	29	iii Audynæus	Decemb. 29.
vi Mechir	Jan. 13	A. D. 30			iv Peritius	Januarii 27.
vii Phamenoth	Feb. 12	—	—	29	v Dystrus	Februarii 26.
viii Pharmuthi	Martii 14	—	—		vi Xanthicus	Martii 27.
27 Pharmuthi, Aprilis 9.					14 Xanthici, Aprilis 9.	

Quare omnino vera conjectura nostra: nam et Pharmuthi 19, A. CH. N. 4, cum Xanthici 10 sive Nisan 10, et Pharmuthi 27, A. D. 30, cum Xanthici seu Nisan 14, ex hac epocharum collatione ad amussim congruisse cernitur; id quod unice nobis ex præsenti disquisitione concludendum propositum erat. Et quanquam duas hasce epochas, alteram diei natalis Dominici in anno Ægyptio, alteram diei mortis ejusdem, solas esse veras crediderimus; tamen operæ pretium fuerit quid illi quoque secuti sint videre, qui Dominum, anno Augusti 28, Pharmuthi 25, seu potius 27, natum statuerint; et quid contra illi, qui diem emortualem ejus ad Phamenoth 25 adligaverint.

Augusti Cæsaris 28, A. CH. N. 3–2.

Annus Ægyptius vagus. Epocha Augusti 24. Menses.					Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Octobris 14. Menses.	
i Thoth	Aug. 24	A. CH. N. 3				
ii Phaophi	Sept. 23	——	—	29	i Dius	Octobris 14.
iii Athyr	Oct. 23	——	—		ii Apellæus	Novemb. 12.
iv Chœac	Nov. 22	——	—	29	iii Audynæus	Decemb. 12.
v Tybi	Dec. 22	——	—		iv Peritius	Januarii 10.
vi Mechir	Jan. 21	A. CH. N. 2		29	v Dystrus	Februarii 9.
vii Phamenoth	Feb. 20	——	—		vi Xanthicus	Martii 10.
viii Pharmuthi	Martii 22	——	—	29	vii Artemisius	Aprilis 9.
27 Pharmuthi, Aprilis 17.					9 Artemisii, Aprilis 17.	

Quare 27 Pharmuthi solaris Ægyptii, A. CH. N. 2, cum Artemisii 9, non autem Xanthici 10, commissus est. Id est, mense lunari toto diem natalem Domini in anno lunari Judæo idem egressus est. Nam Xanthicus quidem ad Nisan Judæum, Artemisius vero ad Jar respondet. Quod si 27 Phamenoth hic loci, pro 27 Pharmuthi, positus erat; dies illi inter se intra diem unum convenissent: nam Phamenoth 27 et Xanthici 9 uterque Martii 18.

Jam vero de Phamenoth 25, pro die emortuali Domini posito, videamus. Et hanc quidem epocham nullo modo nisi ab anno Ægyptio ac fixo arcessitam constare posse, plane nobis liquet; neque de hoc ipso sumtam, nisi annus Domini emortualis non Tiberii Cæsaris sextusdecimus sed quintusdecimus intelligatur; quæ sane quorundam ex antiquis sententia fuit.

Tiberii Cæsaris 15, A. D. 28–29.

Annus Ægyptius fixus, seu Alexandrinus. Epocha Augusti 29. Menses.					Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Octobris 12. Menses.	
i Thoth	Aug. 29	A. D.	28			
ii Phaophi	Sept. 28	—	—	29	i Dius,	Octobris 12.
iii Athyr	Oct. 28	—	—		ii Apellæus	Novemb. 10.
iv Chœac	Nov. 27	—	—	29	iii Audynæus	Decemb. 10.
v Tybi	Dec, 27	—	—		iv Peritius	Januarii 8.
vi Mechir	Jan. 26	A. D.	29	29	v Dystrus	Februarii 7.
vii Phamenoth	Feb. 25	—	—		vi Xanthicus	Martii 8.
25 Phamenoth, Martii 21.					14 Xanthici, Martii 21.	

Ergo secundum hanc comparationem haud injuria fieri poterat, ut Dominus, 14 Xanthici A. D. 29 passus esse creditus, 25 Phamenoth Alexandrini ac fixi passus fuisse existimaretur. Nam quod ad Nisan 14 eodem anno adtinet; Pascha Judaïcum, A. D. 29, Tiberii Cæsaris 15, mense Aprili non mense Martii de more celebratum est:

quod tamen si mense Martio celebrandum esset, Martii 18, tribus tantum diebus ante Martii 21, seu Phamenoth 25, celebratum fuisset.

De epocha ista, quæ sola superest, Pachon scilicet 25, de die natali Domini positus; A. D. 126, epocha anni vagi in Julii 23, epocha anni lunaris Ægyptii in Novembris 8 incurrit: unde inter sese sequentem in modum comparari possunt.

A. D. 126—A. D. 127.

Annus Ægyptius vagus. Epocha Julii 23. Menses.					Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Novembris 8. Menses.	
i Thoth,	Julii 23	A. D.	126			
ii Phaophi	Aug. 22	—	—			
iii Athyr	Sept. 21	—	—			
iv Chœac	Oct. 21	—	—	29	i Dius	Novembris 8.
v Tybi	Nov. 20	—	—		ii Apellæus	Decembris 7.
vi Mechir	Dec. 20	—	—	29	iii Audynæus	Januarii 6.
vii Phamenoth	Jan. 19	A. D	127		iv Peritius	Februarii 4.
viii Pharmuthi	Feb. 18	—	—	29	v Dystrus	Martii 6.
ix Pachon	Martii 20	—	—		vi Xanthicus	Aprilis 4.
25 Pachon, Aprilis 13.					10 Xanthici, Aprilis 13.	

Itaque Pachon 25, A. D. 126, de die natali Dominico accipiendus, cum Xanthici vel Nisan 10 ad amussim quadrarit. Igitur circa hoc tempus, seu potius hoc ipso anno, constitutam fuisse hanc epocham nos quidem verisimillimum duxerimus; annus autem ille Hadriani Cæsaris vel nonus vel decimus fuit, sub quo Basilidem in Ægyptum concessisse jam antea monuimus. Nullo autem anno, neque antea nec postea, regnante Hadriano, nisi hoc ipso, fieri potuisse ut Pachon 25 in Nisan seu Xanthici 10 ita exacte incideret; ex comparatione anni Ægyptii vagi, atque anni ejusdem lunaris, per totum Hadriani regnum, nobis liquet.

De hac ipsa epocha, Pachon nimirum 25, in anno Ægyptio vago, perperam cum eodem die in anno Alexandrino ac fixo, vel ab ipso Epiphanio (quod potius crediderimus) vel ab auctore ejus, confuso, intelligendum existimaverimus, quod apud Dissertationes nostras[k], ex Epiphanio notatum, reperietur: id est, secundum Valentinianorum quendam, natum fuisse Dominum circa annum Augusti quadragesimum, xii Kalendas Junii vel Julii. Nam et Pachon 25, in anno Alexandrino, et xiii, sin minus xii, Kalendas Junii, cum Maii 20 congruit; atque ætas ipsa Valentini, e cujus schola hæc epocha emanasse dicitur, circa A. D. 126 statuenda esse videtur: id quod ipsi, et libris et loco supra laudatis, monuimus.

Jam vero ad duplicem istam baptismi Dominici epocham transeamus; quarum una ad Tybi Ægyptii 11, altera ad ejusdem mensis 15, constituitur. Harum priorem de anno Alexandrino ac fixo, posteriorem de anno mobili et vago, sumtam esse opinamur: illam etiam de Tiberii Cæsaris anno quintodecimo, sicut ex ipsius testimonio ferme patet, hanc autem non item, intelligendam. Neque enim ad eundem cum altera illa annum hanc etiam a principio destinatam esse credimus, tametsi in unum Tiberii quintumdecimum tum hæc tum illa a Clemente conjecta esse videatur: nec quidquam in caussa fuisse existimamus, cur justus ac verus baptismi Dominici annus non eadem prorsus traditionis fide ad Ægyptios delatus credatur, qua et justus ac verus dies. Videamus igitur primum, quid ex Tybi Ægyptii et fixi 11, A. D. 28–29, deinde, quid ex Tybi Ægyptii et vagi 15, A. D. 26–27, de die baptismi, ope kalendarii nostri, dignosci ac dijudicari possit.

[k] Appendix, xiii. vol. iii. 606, 607.

A. D. 28–29.

Annus Ægyptius fixus. Epocha Augusti 29.				Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Octobris 12.		
Menses.					Menses.	
i Thoth	Augusti 29	A. D.	28			
ii Phaophi	Septemb. 28	—	—			
iii Athyr	Octobris 28	—	—	29	i Dius	Octobris 12.
iv Chœac	Novemb. 27	—	—		ii Apellæus	Novemb. 10.
v Tybi,	Decemb. 27	—	—	29	iii Audynæus	Decemb. 10.
11 Tybi, Januarii 6. A. D. 29.				28 Audynæi, Januarii 6.		

A. D. 26–27.

Annus Ægyptius vagus. Epocha Augusti 17.				Annus Ægyptius Lunaris. Epocha Novembris 3.		
Menses.					Menses.	
i Thoth	Augusti 17	A. D.	26			
ii Phaophi	Septemb. 16	—	—			
iii Athyr	Octobris 16	—	—			
iv Chœac	Novemb. 15	—	—	29	i Dius	Novembris 3.
v Tybi	Decembris 15	—	—		ii Apellæus	Decembris 2.
15 Tybi, Decembris 29.				28 Apellæi, Decembris 29.		

Ex hac collatione mensium apparet, utrumque, cum Tybi 11 in anno fixo tum Tybi 15 in anno vago, cum duodetricesimo die mensis cujusdam in anno lunari Ægyptio concurrisse. Unde conjecturæ locus sponte patet, memoriæ proditum esse a Judæis ad Ægyptios, duodetricesimo mensis cujusdam sui die baptizatum fuisse Dominum; qui mensis cum Tybi Ægyptio plus minus concurrisse, aut concurrere potuisse, præterea intelligendus erat. Idem enim secuti videntur, et qui ad Tybi 11 in anno fixo, et qui ad Tybi 15 in anno vago, baptismi Dominici diem constituerint; mensis scilicet lunaris sui, qui idem et apud Judæos fuerit aut saltem fuisse creditus sit, duodetricesimum diem.

Et mensis Judaïcus quidem, in quem tum Tybi 11, in anno fixo, A. D. 29, tum Tybi 15 in anno vago, A. D. 26, inciderit, ut ex kalendario nostro inspectantibus patebit, unus atque idem Sebat erat: cujus dies secundus, ad Decembris 29, A. D. 26, atque ad Januarii 6, A. D. 29, pariter respondebat. De more autem, quando Dius Macedonicus Marchesvan Judaïco respondere supponitur; Apellæus ad Chisleu, Audynæus ad Tebeth, Peritius vero ad Sebat Judaïcum responsurus est: quod contra videmus in laterculo nostro primo, ubi Tybi 11 cum Audynæi 28, atque in laterculo nostro secundo, ubi Tybi 15 cum Apellæi 28, commissus exstat; utrumque autem diversis annis cum uno Sebat Judaïco concurrisse fingitur.

De laterculo autem isto secundo, ad A. D. 26 pertinente, notatu dignum est, quod annus ille apud kalendarium lunare Ægyptium nostrum embolimæo proximus fuerit; unde decursus mensium, ad comparationem cum Judæis instituendam, ab Hyperberetæo secundo, tanquam idem ac Marchesvan Judæorum in anno communi valente, exorsus fuerit: quo in casu, Tybi 15 in Decembris 29, uterque autem in Audynæi 28, non in Apellæi 28, incursurus erat. De cetero, memoriæ consignatum est, ut nobis omnino probabile videtur, baptismum Domini, quoquo anno Tiberii Cæsaris exciderit, in mensem anni sacri a fine tertium incidisse; qui in anno communi, perpetuo Tebeth seu Audynæus; in anno embolimæo, pro Tebeth, Sebat factus sit, necesse est. Jam vero annus ille Tiberii Cæsaris tertiusdecimus, quo revera baptizatus est Dominus, A. D. scilicet 27, apud kalendarium nostrum embolimæus exstat. Ergo mensis ejusdem penultimus, Adar; tertius a fine, Sebat: quod alias contra, penultimus Sebat, tertius ab ultimo Tebeth.

Illud igitur nos quidem unice verum existimaverimus, et cum ipsis Evangeliorum testimoniis, ac præ ceteris cum Divo Joanne unice conciliandum; justum scilicet atque authenticum baptismi Dominici diem, per traditionis perpetuæ fidem memoriæ apud exteros consignatum, mensis Sebat, apud kalendarium sacrum undecimi, duodetricesimum diem fuisse: etsi cum Tebeth seu decimi eodem die perperam confundi posset. Operæ tamen pretium est animadvertere, quam prope ad veram illam epocham etiam mensis dies 15, in anno Ægyptio vago, A. D. 26, pro ea positus accedat; prolatata enim epocha eadem, apud kalendarium lunare Ægyptium, ab Apellæi 28 ad Audynæi 28, prolatetur ejusdem epocha in anno vago, a Tybi 15 ad Chœac 15 necesse est: uterque autem, tum Chœac 15 tum Audynæi 28, in Januarii 28, A.D. 27 incurrerit; quos inter et Sebat Judaïcum 28, eodem anno, verum baptismi diem, quatuor tantum dierum discrimen fuerit: nam Sebat 28 Januarii 24, Chœac 15 et Audynæi 28 uterque Januarii 28.

Atque hæc omnia quidem, etsi minus certa, vel ultra disceptationis ac controversiæ periculum constituta, tamen apte inter se cohærere, ac magna verisimilitudinis specie commendari, nemo, uti speramus, negabit, qui præjudicatis opinionibus liber ad eorum examinationem et considerationem accesserit. Quantum autem valeant ad veritatem Evangelicam illustrandam simul ac confirmandam, superest ut paucis dicatur.

Ac primum, Totum illud de Domini nostri ætate cum baptismum subiret, quod a Divo Luca verbis conceptis positum est, *fuisse eum quasi incipientem annorum esse triginta*—tantum luminis ex his mutuatur, ut nihil supra. Nam si Sebat 28, Januarii 24, A. D. 27,

baptizatus, Nisan autem 10, Aprilis 5, natus sit; lxxi diebus ante diem suum natalem, id est antequam annorum triginta perfectorum fieret, tum in anno Judæo tum in Juliano, baptizatum fuisse constabit: id quod unusquisque confiteatur oportet, etiam ab auctore gravissimo, ac veritatis in omnibus studiosissimo, tamen et reputari et dici posse, nullo veritatis ne minimo quidem dispendio, tanquam annos triginta *quasi jam confectos*, quia *jamjam conficiendos.*

Deinde initio a die Baptismi, Sebat 28, Januarii 24, (quæ feria etiam hebdomadæ prima erat,) sumto; facillimum est res in medio gestas, a baptismo Domini usque ad Pascha illud, quod omnium primum Hierosolymis postea celebraturus erat, omnes secundum tempora sua, constituere; id quod ipsi in capite nostro quarto, Parte ejusdem prima, facturi sumus. Neque ad eorum etiam omnium epochas determinandas, quæ a principio Evangelii secundum Divum Lucam, usque ad diem nativitatis Dominicæ, apud Harmoniam nostram leguntur, minus inservit diei istius ad Nisan Judaïci 10, Aprilis Juliani 5, feriam septimam exeuntem, vel primam ineuntem, probabilis admodum, ne dicamus certa, constitutio: idque etiam a nobis, ope hujus fundamenti cui insistamus, loco et tempore suo effectum iri speramus. De reliqua historiæ Evangelicæ universæ portione, quæ a Pascha primo ad conditam Actuum historiam usque pertinet; plena ejus ac particularis, secundum tempora atque epochas suas, pro rationibus nostris chronologicis in genere, ac præsertim pro principiis istis ac datis, quæ in superiore capite, atque in præsenti, a nobis posita ac disceptata sunt, recensio capiti nostro quarto, postmodum insecuturo, reservanda est. Prius tamen quam capitis hujus tertii finem faciamus, ad annum Ægyptium lunarem revertendum esse

censemus; de quo nonnihil restat memorandum, unde haud parum confirmationis ad omnia illa, quæ superius de hac quæstione disputata sunt, accessurum esse speramus.

Ac primum monendum est, anni lunaris cujusdam apud Ægyptios et vicinas Ægypto civitates, tum ante hæc tempora, tum post ea, in usum recepti, exstare et alibi indicia quædam, et præ ceteris apud Plutarchum de Iside atque Osiride; quæ forsitan e kalendario nostro magnopere explanari ac corroborari possint. De his tamen, et de aliis eodem pertinentibus, commodiore et tempore et loco, si ita Deo visum fuerit, dicturi sumus. Missis igitur factis his omnibus, magis e re fuerit eo præverti, unde ad ulteriorem anni lunaris Ægyptii nostri illustrationem planior ac facilior via patefiet.

Judæos extra Judæam natos, tamen apud regiones sibi quibusque patrias, ferias gentiles suas, neomenias mensium, dies sabbati, statas festorum solennitates, observare solitos esse, a verisimilitudine minime abhorreret, etsi a testimonio confirmatum non esset. Ac de sabbatis quidem ubique constat. Sed et de ceteris ejusdem generis observationibus, apud eosdem, non minus constare debet. Hinc enim et Horatianum illud de *Tricesimis Sabbatis*[i], ac Persianum, de *Festis Herodis diebus*[k], utrumque de Judæis ipsorum temporibus Romæ agentibus positum, unice explanandum. Sed et testimonium hujusmodi observationis luculentissimum ipsi in sequentibus mox adducturi sumus.

Ad hasce igitur observationes kalendario opus erat, et kalendario quidem lunari: quod tamen in usum

i Serm. lib. i. Sat. ix. 69.

k Persius, v. 179.

Judæorum inter gentes degentium destinatum, non sacrum illud, et tribulium suorum e matre regione civile, futurum esse, sed unum quoddam ex iis quæ circa hanc tempestatem apud exteras regiones obtinebant, vel ex ipsa neomeniarum observandarum necessitate colligi potest. Neomeniæ enim illæ, nisi e kalendariis eorum, inter quos degebant, gentilibus ac popularibus, a Judæis e Dispersione notari ac depromi non poterant: neomeniarum autem notatio atque observatio et ceteris feriis eorum omnibus, præter sabbatum, cum legem dabat tum ordinem constituebat.

Et kalendariorum quidem, lunarium præsertim, circa hanc tempestatem, apud gentes magna diversitas erat: non tamen major, quam quæ certis quibusdam limitibus apud omnes pæne circumscribi possit. E quibus, quid Ægyptii potissimum in hoc genere secuti sint, supra vidimus. Idem et a vicinis Ægypto civitatibus, atque inprimis Libyæ seu Africæ, in usum receptum esse, multis de caussis maxime probabile. Ingens, a temporibus saltem Ptolemæi Soteris, inter hasce gentes, tum Ægypti tum Africæ, Judæorum numerus. Operæ igitur pretium fuerit, de his ipsis inquirere; an exemplum ejusmodi reperiri possit, quod Judæos, vel Ægypti vel confinis Ægypto Libyæ, hac tempestate, ad sacra sua gentilitia ordinanda atque observanda, kalendario illo Ægyptiorum lunari usos fuisse demonstret. Ita enim optimo jure factum iri, ut etiam epochæ illæ de die natali, de die emortuali, et de die baptismi Domini nostri positæ, etsi a kalendario sacro primitus profectæ, tamen in kalendarium illud Ægyptium, tanquam eodem prorsus rediturae, transferrentur.

Exstat marmor antiquum, quod temporibus retro

actis in amphitheatro urbis cujusdam, Berenices dictæ, se teste positum erat: circa principium autem sæculi duodevicesimi ex agro Tripolitano Africæ in Galliam advectum est. Unde conjectura summo opere probabilis fit, apud amphitheatrum urbis illius, cui nomen hodiernum Ber-nic vel Ben-gazi, antiquum Hesperis vel Berenice, aliquando positum. Nam urbs illa agro Tripolitano orientem versus prorsus adfinis erat: de Pentapoli Libyæ, sive de quinque civitatibus Cyrenaïcæ contributis, Cyrene scilicet, Apollonia, Ptolemaïde, Arsinöe ac Berenice, extrema, atque in ultimo pæne orbis Romani orientalis, ad occidentem, sinu sita. Juxta fluvius Lethon, ac fabulosi Hesperidum horti. Unde et ipsa principio Hesperis seu Hesperides dicta. Nomen Berenices a Berenice, Magæ Cyrenes reguli filia, atque eadem Ptolemæi Euergetæ, ejus nominis inter Ægyptios primi, uxore, a qua aliquando exculta atque exornata est, mutuata esse creditur. Ad hanc igitur urbem marmor illud pertinuisse, omnino concludendum est *.

* Nomen Berenices compluribus urbibus antiquis commune erat. Sex vel septem recenset Stephanus, De Urbibus, Βερενῖκαι. Sed præ ceteris apud Ægyptum frequentabatur; ubi et Berenice una, in Thebaïde, super sinu Arabico, sita, et præcipuum Indiam inter atque Ægyptum navigantium emporium: altera, quæ Berenice Troglodytica: altera quæ Plinio Panchrysos, Straboni κατὰ Σάβας; quarta, quæ ἐπὶ δείρης: quinta, quam et Josephus, (Ant. viii. vi. 4.) et Ptolemæus, (Geographia, iv. 8.) in ipso sinus Elanitæ vertice, eodem quo et Ezion Geber sacrarum litterarum loco situm erat, statuunt. Vide Plinium H. N. vi. 33: ii. 75: 34: xxxvii. 54.

Hesperides civitas alio nomine, et forsan antiquiore, Euesperides dictæ sunt: siquidem, apud Herodotum, iv. 171, in descriptione Libyæ, ad annum A. CH. N. 514 ferme pertinente, de urbe, Εὐεσπερίδας tantum habemus, apud Thucydidem autem, de anno A. CH. N. 413. vii. 50, de civibus ejus, Εὐεσπερίτας. Cf. et Stephanum, De Urbibus, in voce. Postea utrumque sæpius occurrit; veluti, apud Theophrastum, Hist. Plant. iv. 4. viii. 6. et Diodorum, iv. 56. xviii. 20. &c.

Fluvius ille vicinus a Strabone xvii. 3. Lathon dicitur, a Plinio autem, v. 5, Lethon: quod verum fuisse e commentariis Ptolemæi, Euergetæ secundi, qui alio nomine *Physcon* appellatus est,

Primum igitur marmoris hujus inscriptionem ipsam coram lectoribus sistemus; in qua nihil ab exemplari variatum intelligant oportet, nisi syllaba una atque altera, quæ manca erat, supplenda, atque orthographia semel atque iterum refingenda, atque accentibus qui apud ipsam desiderantur addendis.

*Inscriptio Marmoris Tripolitani**.

Ἔτους[1] νε' Φαῶφ κε', ἐπὶ συλλόγου τῆς Σκηνοπηγίας, ἐπὶ ἀρχόντων Κλεάνδρου τοῦ Στρατονίκου, Εὐφράνορος

apud Athenæum, ii. 84. confirmatur; nam Ptolemæus ille, multos per annos, priusquam mortuo fratre Philometore in regnum Ægypti adscitus est, Cyrenes regnum gesserat; et vicinum Berenice flumen Lethonem ipse vocat. Cf. et Athenæus, xii. 73. xiv. 69.

De Maga, Berenices patre; Ptolemæi Soteris, seu Primi, filius, Philadelphi, frater erat. Quinquaginta annos Cyrenis regnasse, ex Agatharchide apud Athenæum xii. 74. discimus: ante mortem autem filiam suam, Berenicen, fratris filio, Ptolemæo, postea Euergetæ dicto, vivo adhuc Philadelpho, ad finienda inter se certamina, despondisse, e Justino xxvi. 3. constat: quod patris judicium quomodo ipsa post mortem ejus exsecuta sit, apud eundum Justinum loco citato narratum exstat. Post mortem igitur Ophellæ, quæ ex expeditione Agathoclis Libyca occasione orta, mense Novembri, A. CH. N. 308, contigit, Magas a patre Sotere in Cyrenes regnum, circa A. CH. N. 307, suffectus esse videtur; circa A. CH. N. 257 autem, regnante adhuc inter Ægyptios fratre Philadelpho, mortuus esse.

Fructus hujus matrimonii masculus duplex, Ptolemæus, a patre, Magas, ab avo materno, appellatus. Ptolemæus, sub Philopatoris cognomine, patri successit; regno, secundum Justinum, xxx. 1. parricidio utriusque parentis potitus: quod tamen de una matre Berenice, a Sosibio, libidinum et facinorum ipsi ministro, conscio ipso, per scelus sublata, potius intelligendum est. Cujus neci et fratris cædem paulo post adjunxit; circa idem nempe tempus quo et Cleomenes, rex Spartæ, qui post pugnam ad Sellasiam in Ægyptum ad Euergeten id temporis superstitem concesserat, Alexandriæ, regnante Philopatore, mortem occubuit: de quibus Plutarchus, Cleomenes, xxxi—xxxviii.

* Textus hujus inscriptionis sæpius impressus est. Exstat apud Muratorium, Thesaurus Inscriptionum, vol. ii. pag. dlxii. classis viii. no. 1. Exstat et apud

[1] τους.

τοῦ Ἀρίστωνος, Σωσιγένους τοῦ Σωσίππου, Ἀνδρομάχου τοῦ Ἀνδρομάχου, Μάρκου Λαιλίου Ὀνασίωνος, τοῦ Ἀπολλωνίου, Φιλωνίδου τοῦ Ἀγήμονος, Αὐτοκλέους τοῦ Ζήνωνος, Σωνίκου τοῦ Θεοδότου, Ἰωσήπου τοῦ Στράτωνος [m].

Ἐπεὶ Μάρκος Τίτιος [n], *Σέξτου υἱὸς, Αἰμιλίας* [o], *ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθὸς, παραγενηθεὶς* [p] *εἰς τὴν ἐπαρχίαν* [q] *ἐπὶ δημοσίων πραγμάτων, τήν τε προστασίαν αὐτῶν ἐποιήσατο φιλανθρώπως* [r] *καὶ καλῶς, ἔν τε τῇ ἀναστροφῇ ἡσύχιον ἦθος ἐνδεικνύμενος* [s] *ἀεὶ διατελῶν τυγχάνει, οὐ μόνον δὲ ἐν τούτοις ἀβαρῆ ἑαυτὸν παρέσχηται, ἀλλὰ καὶ τοῖς κατ' ἰδίαν* [t] *ἐντυγχάνουσι τῶν πολιτῶν, ἔτι δὲ καὶ τοῖς ἐκ τοῦ πολιτεύματος ἡμῶν Ἰουδαίοις, καὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν* [u] *εὔχρηστον προστασίαν* [x] *ποιούμενος, οὐ διαλείπει τῆς ἰδίας καλοκἀγαθίας ἄξια πράσσων· ὧν χάριν ἔδοξε τοῖς ἄρχουσι* [y], *καὶ τῷ πολιτεύματι τῶν ἐν Βερενίκῃ Ἰουδαίων, ἐπαινέσαι τε αὐτὸν, καὶ στεφανοῦν ὀνομαστὶ, καθ' ἑκάστην* [z] *σύνοδον καὶ νουμηνίαν, στεφάνῳ ἐλαΐνῳ καὶ λημνίσκῳ*†, *τοὺς δὲ ἄρχοντας ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα εἰς στήλην λίθου Παρίου, καὶ θεῖναι εἰς τὸν ἐπισημότατον τόπον τοῦ ἀμφιθεάτρου* [a].

Λευκαὶ πᾶσαι [b].

De æra quæ dicitur hujus Berenices, neque ex numis

Dissertationem Frereti, in Commentariis Academiæ De Inscriptionibus et Bellis Litteris, vol. xxi. p. 225. Cujus fidem et nos in textu nostro secuti sumus.

† Mos ille coronis et lemniscis, seu tæniis, condecorandi, honoris ergo, illustratur ab Empedocle de seipso, apud Diogenem Laërtium, libro viii. §. 62: a Thucydide, iv. 121, de honoribus Brasidæ decretis a Scionæis, et præstitis, A. CH. N. 423: a Xenophonte, Hellen. v. 1. §. 3. de Teleutia apud Æginam A. CH. N. 388, cum de classis præfectura successori decederet: a Plutarcho, de Philopœmone, xxi; cujus mortui urnam, inter exsequias ejus celebrandas, præ copia tæniarum ac coronarum vix conspici potuisse tradit: atque a multis aliis, sicut nemini non inter legendum notandum occurrere potest.

m *Στρατονος.* n *Τιττιος.* o *Αιμιλια.* Sub. *φυλῆς.* p *παραγηνηθεις.* q *επαρχειαν.* r *φιλαντρωπως.* s *ενδικνυμενος.* t *κατιδιαν.* u *κατιδιαν.* x *προσστασιαν.* y *αρκουσι.* z *καθεκαστην.* a *αμφιτεατρου.* b Scilicet *ψῆφοι*, id est, nemine contradicente, nec contra suffragium ferente.

neque e marmoribus aliunde constat. Unde de inscriptionis ætate amplus conjecturæ locus. Et controversiam quidem illam, super hac quæstione, inter socios quosdam doctorum apud Gallos sodalitatis, cui Commentatorum De Inscriptionibus et Bellis Litteris Academiæ nomen, centum ferme retro annis, A. S. scilicet 1747, motam, si quis ex ipsis cognoscere cupiat, adeundi ejusdem commentarii[c]. Nobis satis est sententiarum summas in præsenti adtingere, et quid singulis de marmoris epocha visum sit, strictim percensere.

Prima igitur sententia, quæ et De la Nauzii, æram Berenices hujus ab autonomia Pentapoli Libyæ a senatu populoque Romano concessa arcessit; quibus ultimus Cyrenarum rex Apion moriens ex testamento easdem legaverat. Ejus facti epocha secundum ipsum A. CH. N. 95: unde et inscriptionis epocha, ab auctumno A. CH. N. 41.

Secunda, quæ et Frereti, æram Berenices a legislatione Luculli repetit; qui bello Mithridatico in Africam a Sylla missus, oratu atque hortatu Cyrenensium turbas ipsorum civiles composuit, ac politiam seu rempublicam de novo ordinavit. Ejus facti epocha secundum ipsum ab auctumno, A. CH. N. 87. Unde et inscriptionis epocha ab auctumno, A. CH. N. 33.

Tertia sententia, quæ et Giberti, æram Berenices a redacta in formam provinciæ Romanæ Cyrenaïca arcessit: cujus epocha secundum ipsum ab auctumno, A. CH. N. 67. Unde et marmoris ætas ab auctumno, A. CH. N. 13.

Quarta opinio, quæ et Maffeiji Marchionis et Buherii Præsidis, æram Berenices eandem, quæ et Augustana,

c Tom. xvi. et xxi.

constituit. Hujus epocha ab auctumno, A. CH. N. 30. Unde et marmoris ætas, ab auctumno, A. D. 25.

De rationibus chronologicis atque historicis harum epocharum, non nimis subtiliter nunc ipsum disputare nobis in animo est: etsi dubitationis nonnihil circa ferme omnes diligentius adtendentibus, atque inquirentibus, subnasci potest. Esto enim, recte constitutæ sint: vel, si scrupuli quiddam de una vel altera adhuc supersit, auctoribus ipsarum condonetur. Posito anno, considerandus sequitur dies: qui marmore teste Phaophi Ægyptii 25, et festi Scenopegiæ a Judæis Berenicensibus celebrati vel celebrandi, dies quidam erat, de quo ulterius siletur. Et de hoc quidem inter omnes convenit: de eo autem, quid per Phaophi Ægyptium intelligendum sit, in diversas partes itur. Mensis ille apud nullum non Ægyptiorum kalendarium secundus; itaque apud nullum non vicesimus quintus Phaophi dies a primo die primi inter Ægyptios mensis, Thoth, necessario pendet. Et De la Nauzius quidem, qui opinionem sibi peculiarem, de alia quadam anni Ægyptii ac fixi forma, etiam Alexandrina illa antiquiore, tuetur; primum diem Thoth ad hujus anni, secundum ipsum, epocham perpetuam, Augusti Juliani 11, constituit. Freretus, Gibertus, et Buherius Præses, de Thoth vago, pro vulgari computatione, Maffeijus Marchio unus, de Thoth fixo atque Alexandrino, annorum superius designatorum Phaophi illius 25 epocham Julianam arcessunt. Summam igitur harum rationum, pro diversis singulorum opinionibus, in sequenti laterculo exhibemus. Quibus adjecti sunt, pro singulis istis epochis, tum e kalendario nostro sacro, tum e kalendario lunari Ægyptio, Scenopegiæ Judaïcæ stati dies. Accedit ad calcem omnium et nostra de marmoris epocha sententia, quam postmodum explicaturi sumus.

Epochæ Marmoris Tripolitani, pro diversis auctoribus diversæ.

	A. CH. N.	Thoth 1.	Phaophi 25.	Scenopegia. Kalend. nostri.	Scenopegia. Kalend. Ægyp.
De la Nauzius	41	Fixus. Aug. 11	Oct. 4	Sept. 25–Oct. 2	Sept. 27–Oct. 4
		Vagus. Sept. 2	Oct. 26	— —	— —
Freretus	33	Aug. 31	Oct. 24	Sept. 27–Oct. 4	Sept. 30–Oct. 7
Gibertus	13	Aug. 26	Oct. 19	Sept. 16–Sept. 23	Sept. 19–Sept. 26 Oct. 19–Oct. 26
Buherius	A. D. 25	Aug. 17	Oct. 10	Sept. 26–Oct. 3	Sept. 30–Oct. 7
Maffeijus	25	Fixus. Aug. 29	Oct. 22	Sept. 26–Oct. 3	Sept. 30–Oct. 7
Nostra	27	Vagus. Aug. 17	Oct. 10	Oct. 4–Oct. 11	Oct. 8–Oct. 15

Inspecto hoc laterculo, ne unam quidem ex epochis hisce, excepta postrema, ad annum sacrum atque eundem verum relatam, constare posse, sponte patet: secundum omnes enim Phaophi Ægyptii 25 ultra supremum Scenopegiæ diem, e kalendario illo desumtum, plus minus excurrit. Quod autem ad alterum illud Scenopegiæ celebrandæ, et statum, intervallum, a kalendario lunari Ægyptio pendere positum; repetitus a Thoth vago, A. CH. N. 41, id est a Septembris Juliani 2, Phaophi vicesimus quintus dies longe ultra Octobris 4, ultimum Scenopegiæ diem, secundum kalendarium illud, cadere cernitur: idem de Thoth illo altero ac fixo, quod auctor sententiæ hujus imaginatus est, Augusti Juliani 11, arcessitus, in ultimam Scenopegiæ προθεσμίαν, ipsum Octobris 4, A. CH. N. 41 in-

currit: quod primo intuitu etiam opinionem seu conjecturam istam, de Thoth altero et fixo illo, Augusti scilicet 11, mirum in modum prærogativa quadam commendare videatur.

Verum enimvero conjectura hæc in genere adeo a probabilitatis rationibus abhorret, ut deficiente extrinsecus testimonio, satis claro ac satis expresso, a quo confirmetur, vix ullo ingenio stabiliri eam posse crediderimus. Neque ignari sumus exstare apud C. Plinium[d], quod instar testimonii hujusmodi desiderati vel sit, vel videri possit; quod etiam doctum De la Nauzium minime latuit: sed hujus, ut nobis quidem plane constat, alia prorsus ratio reddi potest, unde nihil ejusmodi, quod ad sententiam ejus hoc in genere confirmandam faciat, colligatur licebit. Ergo forte fortuna omnino factum statuerimus, ut A. CH. N. 41, dies quinquagesimus quintus, ab Augusti undecimo numeratus, in Octobris 4, supremum festi Scenopegiæ diem, a Judæis Ægyptiis vel Berenicensibus observandum, inciderit. Qui etiam dies, eo ipso nomine, quia supremus Scenopegiæ festi futurus erat, tanquam convocationis sanctæ stata tempestas, atque ut sabbatum, etiam extra ordinem, perpetuum, commemorandus fuisset: quo potissimum die nihil ejusmodi actum iri, quod circa decretum hoc ipsum ferendum ac sanciendum, de communi Berenicensium consilio, consentientibus atque adprobantibus etiam Judæis, inquilinis ac municipibus suis, nunc ipsum actum sit, pæne pro certo atque indubitando reputandum est.

Neque ipsæ historiæ rationes patiuntur, ut A. CH. N. 41, vix integro post prœlium Philippense et mortem

d H. N. vi. 26: "Ex India renavigant mense Ægyptio Tybi, incipiente nostro Decembri: aut utique Mechiris Ægyptii intra diem sextum, quod fit intra Idus Januarias nostras: ita evenit, ut eodem anno remeent."

Cassii anno, decretum hujusmodi in honorem magistratus cujusvis Romani, propter benevolentiam, comitatem, atque humanitatem tum in ceteros Berenices cives, tum præ aliis in Judæos, satis longa experientia cognitam (quæ potissimum caussæ lationis suæ ab ipso recensitæ sunt) perlatum et memoriæ consignatum fuerit. Nam usque ad prœlium illud et necem Cassii, Cyrenaïca omnis fascibus ejus subjacebat; cui statim post mortem Julii Cæsaris, una cum aliis orientis, ac præsertim Libyæ seu Africæ, regionibus, Senatus Romani decreto permissa atque adsignata erat. Cassius autem, ab hoc tempore usque ad diem suum supremum, Judæis præ ceteris, qui Dictatorem Cæsarem et vivum et mortuum summo amore atque animi propensione prosecuti erant, tum in patria sua, tum apud exteras regiones, (id quod ex Josepho discimus,) maxime infensus erat: ipsum etiam et anno A. CH. N. 43 exeunte, et 42 ineunte, aut apud Ægyptum, aut in vicinitate Ægypti adhuc egisse, ex Plutarcho constat [e].

Quod ad annum A. CH. N. 33, Phaophi 25 Octobris 24 erat: ultimus Scenopegiæ dies secundum kalendarium Ægyptium Octobris 7. Quare omnino inter se congruere nequiverint. Conscius etiam sibi erat doctissimus Freretus, opinionem suam in hac parte vel maxime laborare. Itaque mensem embolimæum, seu Veadar quendam, circa principium anni hujus, seu potius sub finem anni superioris, imaginatus est; unde prolatata neomenia Nisan, pari ratione prolataretur etiam neomenia Tisri: ita ut hoc artificio primus ejus dies in Octobris 11, quintusdecimus in Octobris 25, secundum ipsum, cadere posset. Quod tamen et ipsum die uno toto Phaophi Ægyptium 25 transcendit.

[e] Brutus, xxviii.

Quod ad annum A. CH. N. 13, illud peculiariter notandum est; secundum kalendarium nostrum anno intercalari annum hunc continuo subjungi: unde et Hyperberetæus, hoc anno, prior, cujus dies quintusdecimus Septembris 19, et Hyperberetæus posterior, cujus quintusdecimus Octobris 19. Quos inter tamen, uter Tisri Judaïci diei quintodecimo illi, quo festum Scenopegiæ de more celebrandum erat, magis exacte responderit, vix dubitandi locus.

Etenim de terminis festi Scenopegiæ certi ac definiti aliquid, non minus quam de terminis Paschalibus, usu constitisse, non verisimile tantum, sed plane necessarium est. Quare si citimus Paschæ terminus, apud kalendarium sacrum, his præsertim temporibus, Martii 19 erat, pari ratione citimus Scenopegiæ Septembris 13 fuerit: si extremus atque ultimus illius Aprilis 16, ultimus hujus Octobris 11: qualem προθεσμίαν in universum, neque apud kalendarium Ægyptium, idem illud ac statum ejusdem observationis tempus ultra tres vel quatuor ad summum dies egressum fuerit. Itaque neque in hoc kalendario ultimus Scenopegiæ terminus Octobris 14, vel 15, de more et consuetudine posterior fuerit; quem tamen sententia hæc Giberti in Octobris 19 profert. Hoc ipso anno, A. CH. N. scilicet 13, festum Scenopegiæ apud matrem regionem a Septembris 16, usque ad Septembris 23, celebratum est; unde a Septembris 19, usque ad Septembris 26, extra Judæam idem celebrari potuisse, omnino credibile: mense lunari solido posterius, ab Octobris 19 usque ad 26 foris id celebratum esse quod triginta totis diebus in patria prius celebratum erat, prorsus incredibile. Vidimus etiam supra [f], de annis hujusmodi post intercalationem incun-

[f] Pagina 148.

tibus, comparatione inter ipsos et lunares Judæorum instituenda, Hyperberetæum secundum, id est, embolimæum mensem illum quem caput anni continuo secutum sit, Marchesvan Judaïco tanquam extra ordinem respondere habitum; cui alias et de more Dius Macedonicus, non Hyperberetæus, responsurus erat. Hyperberetæo autem secundo ad Marchesvan respondente, Hyperberetæus primus Tisri responderit necesse est. Quod si Hyperberetæus primus etiam in annis hujusmodi ad Tisri respondere habitus sit; nullo non anno Hyperberetæus primus ad Tisri responderit necesse est. Quare nullo non anno feriæ ac solennitates, cujuscunque generis, quæ Tisri Judaïci propriæ ac peculiares erant, Hyperberetæi Macedonis primi propriæ ac peculiares quoque fuerint: qui annis communibus quidem solus, intercalaribus autem sub eodem nomine duplex factus, atque iterari solitus, idem tamen prorsus valebat, in annis intercalaribus, prior nuncupatus, atque in annis communibus, solus et absolute dictus.

Et de mensibus embolimæis in genere, qualis in kalendario nostro sacro Veadar, post Adar per intervalla temporum cadere solitus; illud nunc ipsum recolendum est, quod superius de festo Purim disceptatum: festum scilicet Purim Adar mensi a principio contributum, atque in Adar mense a principio celebratum, nullo non anno ad mensem eundem, tanquam sibi proprium, de jure pertinuisse; annis intercalaribus, in quibus Adar repetitus Veadar dictus est, repetitas ad summum, repetito illo Adar, solennitates ipsi proprias; non autem de Adar sublatas, atque in Veadar translatas. An hujusmodi aliquid de Hyperberetæo priore, et de eodem posteriore, apud kalendarium lunare Ægyptium usu receptum fuerit, nihil certi constituere ausi simus; nisi quod etiam in casu isto, primum Scenopegiæ cele-

brandæ tempus, scilicet Hyperberetæum priorem, seu Tisri, idem statum ac justum fore. Laborat tamen et eo nomine hæc Giberti epocha, quod Phaophi 25 Octobris 19 sit, Octobris autem 19 secundum ipsum, Tisri 15; primus scilicet Scenopegiæ dies, qui et sacræ convocationi, et sabbato extra ordinem semper observando, non minus quam octavus, perpetuo solennis erat: quo quidem die nihil hujusmodi a Judæis in primis Berenicensibus actum iri, jam antea monuimus.

Quod ad annum Domini 25; sententia illa Maffeiji Marchionis, secundum quam Phaophi 25 in Octobris 22, totis quindecim post conditum Scenopegiæ festum diebus, cadit, nequaquam constare potest. Opinio Buherii, juxta quam Phaophi 25 Octobris 10, primo adspectu tolerabilior; sed et tribus diebus ultimum Scenopegiæ, A. D. 25, diem, Octobris scilicet 7, etiam hæc egreditur.

Restat igitur ultima, seu sexta, de superioribus sententia, quæ et nostra. Cujus tamen priusquam explanationem ordiamur, pauca de terminis ipsius inscriptionis dicenda sunt.

Verba illa, ἐπὶ συλλόγου τῆς Σκηνοπηγίας, in prooemio seu initio ejus posita, viris doctis, supra memoratis, fraudi fuerunt; qui ita sensum eorum interpretati sunt, ut unum quendam diem, ex octo illis qui huic uni festo contributi erant, ab iisdem designari putaverint; quem etiam nomine *Syllogi*, *Conventus*, seu *Collectæ*, τῆς Σκηνοπηγίας, κατ' ἐξοχὴν gaudere, arbitrati sint. Quod si revera hic loci designatum esset, Græcitatis ratio omnino postulasset, ut de hoc ipso die potissimum, non ἐπὶ συλλόγου τῆς Σκηνοπηγίας, sed ἐπὶ ΤΗΣ συλλόγου verbis conceptis dictum esset. Verum enimvero bini erant dies,

alter in initio alter in fine festi constitutus, quorum uterque, ut sacræ convocationis stata tempestas, atque ut sabbatum etiam extra ordinem perpetuo observandum, pari eminentiæ honore fruebatur. Quis igitur verbis istiusmodi, *ἐπὶ τῆς συλλόγου*, nedum *ἐπὶ συλλόγου, τῆς Σκηνοπηγίας* in genere, octavum ejusdem atque ultimum diem, potius quam primum, designari dixerit? De ultimo autem die illo, Tisri 22, festi ipsius octavo, proprium ejus nomen Hebraïce *retentionem* sonat; etsi, propter convocationem plebis universæ, tunc cummaxime de more habendam, et *σύνοδος* et *πανήγυρις* ab interpretibus Græcis reddatur. Cujus porro appellationis ratio exinde procul dubio haurienda est, quod, tametsi diebus septem jam antea elapsis, explicato a capite ad finem festo, tamen non statim dimittendus populus, sed cærimoniarum caussa, quæ e Legis præscripto etiam Tisri 22 fieri debebant, diem insuper unum in statione apud Templum retinendus erat.

Nobis quidem judicibus, verba illa, *ἐπὶ συλλόγου τῆς Σκηνοπηγίας*, nihil aliud significant quam conventus, festi Scenopegiæ gratia, habendi statam ac solennem tempestatem in genere. Idem prorsus valent, in principio decreti posita, atque altera ac germana illa, *καθ' ἑκάστην σύνοδον*, de quibus una cum *neomeniis* mentio fit in fine; occasionem scilicet conveniendi unam quamvis Judæis usitatam: quarum procul dubio præcipuæ ac celeberrimæ erant conventus festorum gentilium caussa frequentandi. Itaque de uno quolibet, ex octo illis diebus festo Scenopegiæ in universum attributis, pro re nata intelligi atque accipi possunt.

Illud etiam de hoc decreto animadvertendum est, quod, tametsi a doctis nonnullis ita lectum atque ita interpretatum sit, ac si a Judæis de seipsis latum esset; tamen

revera a communi Berenicensium et de se et de Judæis, civibus ac municipibus suis, consentientibus tantum et sancientibus ipsis, latum est. Quare de die quo hæc Berenices acta sint, parum solliciti esse debemus: modo ne in Tisri Judaïci 15, vel in ejusdem 22, vel in diem hebdomadæ septimum, Phaophi ille 25, quo cummaxime acta esse constat, incurrerit. Universo quidem Scenopegiæ decursu sub umbraculis agebant Judæi; sed his tantum diebus ab opere omni civili atque ordinario vacaturi erant: ac præcipue extra Judæam, ubi sacra nulla, etiam statis sacrorum tempestatibus, salva legis suæ reverentia, fieri poterant. His igitur præmissis, ad epocham inscriptionis constituendam jam transeamus.

Æra Augustana, quæ dicitur, secundum Censorinum [g], Romæ a kalendis Januarii, U. C. 727, A. CH. N. 27, nuncupari cœpta: apud Ægyptios biennio maturius, U. C. 725, A. CH. N. 29, quando Ægyptus in ditionem populi Romani venisset. Sed et an hæc ejusdem æræ epocha alibi etiam in ipsa Ægypto, nisi apud Alexandrinos, nedum in regionibus extra Ægyptum, licet ipsi vicinis, quales erant Marmarica Libyæ, ac Cyrenaïca sive Pentapolis, usu obtinuerit, merito dubitari atque ambigi potest. Nobis quidem omnino verisimile videtur, epocham illam Berenicensem, unde annus inscriptionis, ab ipsa 55, numerandus est, ab Æra Augustana proprie dicta arcessendam esse: præsertim cum et eadem ordinandarum inter Augustum ac senatum populumque Romanum provinciarum fuerit; unde et Crete insula, atque Africæ continentis ex adverso pars ea quæ Cyrenaïca vocitata, ab Ægypto divulsa, quam sibi ipsi et procuratoribus suis reservabat Cæsar, in unam sortem conjecta, S. P. Q. R. concessa est. A quo facto, et quo

[g] De Die Natali, xxi.

tempore, etiam Æra Augustana illa, apud Alexandrinos Ægyptios usitata, etsi a capta U. C. 724, A. D. 30, urbe sua, tum apud se, tum apud ceteros Ægyptios, tum apud exteras, sed easdem finitimas, Africæ seu Libyæ civitates, popularis ac gentilis facta esset, ab omnibus tamen pariter coli jure optimo desiisset; quorum qui intra Ægyptum, imperatori ac fisco, qui extra, fascibus populi ac senatus, ab hoc usque tempore, diversa prorsus sorte, subjiciendi erant. Quem etiam rerum suarum publicarum statum, apud Berenicen, tunc cummaxime adhuc obtinuisse, cum negotium hoc totum de communi ipsorum consilio transactum est; ex mentione ista *δημοσίων πραγμάτων*, quorum procurandorum caussa Marcus ille Titius in provinciam venisse dicitur, colligi potest; ubi et finium suorum, sub nomine *τῆς ἐπαρχίας*, mentio etiam notatu digna est.

Epocha hujus provinciarum ordinationis ac partitionis non ab auctumno, U. C. 727, A. CH. N. 27, sed ab auctumno, U. C. 726, A. CH. N. 28, retro petenda est: quoniam et ante collatum in Octavianum Cæsarem nomen Augusti, quod Januarii 13 vel 16 vel 17 (nam omnes quidem traduntur, primus ab Ovidio [h], secundus a kalendario Prænestino, sive Fastis Verrii Flacci [i], tertius a Censorino [k]) U. C. 727 factum est, aut saltem non posterius eodem, partitio illa provinciarum jam transacta ac decisa erat. Unde ad annum Domini 27, ex auctumno, annus ille inscriptionis 55, redigendus. Eo anno Thoth vagus Augusti 17, Phaophi 25 Octobris 10 erat: Scenopegia, secundum kalendarium Ægyptium nostrum, ab Octobris 8 usque ad Octobris 15 celebranda. Ita Phaophi 25, Octobris 10, tertius festi dies, Tisri 17, fuerit. De quo illud etiam notatu in primis

[h] Fasti, i. 589. [i] Apud Foggini. [k] De Die Natali, xxi.

dignum: Tisri scilicet 15, Octobris 8, A. D. 27, in feriam sextam, Tisri 16, Octobris 9, in diem sabbati incidisse; Tisri 17, Octobris 10, Phaophi Ægyptii 25, tertium festi diem, primum etiam fuisse, quo, salvis ipsorum scrupulis, aliquid hujusmodi, quale erat negotium id universum, de quo hoc decretum latum est, consentientibus et sancientibus de communi Berenicensium Judæis (quorum unus hoc ipso tempore et magistratu publico functus esse videtur, Josephus scilicet Stratonis filius) a ceteris ejusdem civibus de more tractari ac peragi poterat. Et de Marmore illo Tripolitano ac de epocha ejus hactenus.

Exstat et aliud lunaris apud Judæos, Ægypti indigenas, kalendarii hujus usus exemplum; de quo e Philone Judæo, Adversus Flaccum, constare nobis potest. Nam postquam persecutionis Judæorum Alexandrinorum, e quibus et ipse, ab hoc Flacco excitatæ, et originem et decursum eo usque dum adprehensus, Caii Cæsaris jussu, Alexandriæ Flaccus, et Romam in vinculis missus est, (quo facto finis persecutioni impositus,) ordine narrasset; tempus cessationis ipsius, quæ, Basso centurione Alexandriam vesperi delato, atque adprehenso eadem nocte Flacco, nullo exspectante contigit, ita describit: ἑορτὴ μὲν γὰρ ἦν πάνδημος τοῖς Ἰουδαίοις κατὰ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν, ἐν ᾗ διάγειν Ἰουδαίοις ἔθος ἐν σκηναῖς[l]: quæ statæ Scenopegiæ apud Judæos tempestatis luculenta sane designatio est. Et intermissam quidem id temporis, propter magnitudinem instantis mali, et rerum suarum publicarum iniquitatem, a Judæis festi celebrationem, verbis conceptis indicare pergit: οὐδὲν δὲ τῶν ἐν ἑορτῇ συνόλως ἀπετελεῖτο[m], κ', τ. λ. id est, *Nihil*

[l] Operum ii. 534. 14–17. Adversus Flaccum. [m] Ibid.

eorum, quæ festis diebus fieri consueta sunt, id temporis *omnino prorsus fiebat.* Sed et justam ejusdem celebrandi, cum Flaccus adprehenderetur, aut in exitu jam esse aut ad exitum jam spectare tempestatem, de sequentibus colligatur licet; quæ cetera quidem publicæ Judæorum exsultationis et gaudii, postquam inimici sui ultionem jam instare certiores facti sunt, indicia ac signa graphice admodum testantur ac pingunt: festi autem hujus sive instaurati, sive instaurandi atque ad finem perducendi, nullam omnino mentionem faciunt. Unde facilis conjectura; non ante ultimum Scenopegiæ diem, tametsi non post eum, adpulsum Alexandriam Bassum, atque adprehensum Flaccum.

Tempus autem hujus adprehensionis et aliunde, ex asportatione nimirum ad Romam ejusdem, quæ sine mora postea facta est, investigari potest: de qua ita loquitur Philo: *ἐπεὶ γὰρ ἀναχθεὶς ἀρχομένου χειμῶνος· ἔδει γὰρ αὐτὸν καὶ τῶν ἐν θαλάττῃ φοβερῶν ἀπολαῦσαι . . . μυρία πονηθεὶς, κ', τ. λ.*[n] unde, ineunte cummaxime hyeme, et tempore anni navigationi adverso, asportatum ab Alexandria Flaccum esse necessario sequitur. Quid autem, secundum Philonem, per ejusmodi tempestatem intelligendum sit, e Legatione ad Caium colligi potest: quem mensibus septem primis, post accessionem ad imperium, mortuo Tiberio, factam, valetudine bona usum, mense octavo in morbum gravem incidisse tradit[o]. Mensis autem Caii primus Martii Juliani **16**, A. D. **37**, iniit; Nisan autem Judaïci ac sacri **11**. Igitur mensis ejusdem octavus, apud kalendarium Julianum, October, a die **16**: apud kalendarium Judaïcum ac sacrum, Marchesvan, a die **11**, id est Octobris Juliani **8**: apud kalendarium Lunare Ægyptium, Hyperberetæus secundus, a die

n Operum ii. 535. 26–29. Adversus Flaccum. o Ibid. 547. 43–548. 2. De Legatione.

11, Octobris Juliani 13. Sed et additur postmodum, de morbi hujus rumore, cum jam percrebuisset: *διαγγελείσης οὖν τῆς ὅτι νοσεῖ φήμης, ἔτι πλοΐμων ὄντων· ἀρχὴ γὰρ ἦν μετοπώρου, τελευταῖος πλοῦς τοῖς θαλαττεύουσιν, ἀπὸ τῶν πανταχόθεν ἐμπορίων εἰς τοὺς οἰκείους λιμένας καὶ ὑποδρόμους ἐπανιοῦσι, καὶ μάλιστα οἷς πρόνοια τοῦ μὴ διαχειμάζειν ἐπὶ ξένης ἐστίν*[p], *κ', τ. λ.* Unde proclive est conjectu, non ab Octobris 8, vel 13, vel 16, sed ab Octobris 1, numeratum superius a Philone esse mensis octavi Caiani initium. Ante medium Octobrem nuntius de hac infirmitate Caii etiam in Ægyptum penetrasse potuit; exstant enim, apud Plinium, exempla confectæ a freto Siculo Alexandriam usque diebus sex vel septem navigationis, a Puteolis autem *lenissimo flatu* novem[q]. Ergo ultima navigatio, secundum Philonem, circa medium Octobrem. Quod et cum kalendarii Juliani de eadem re indiciis ac notis omnino convenit: ubi Hyemis initium ad Octobris 11 notatum deprehenditur, ad Novembris autem 11, mense uno postea, Vergiliarum occasus in kalendario illo statum diem, Mare clausum. Septembris etiam 27, apud idem, Veneris Genitricis seu Matris, ac Fortunæ reducis, statum sacrum proditur; quod navigantium caussa, procul dubio, id temporis reditum in patriam, *ἀπὸ τῶν πανταχόθεν ἐμπορίων* (ut verbis Philonis de re eadem utamur) auspicantium, de more quotannis suscipiendum erat. Manilius porro[r], sin minus Cæsar Germanicus quoque apud Aratum suum, Maris clausi statam quodammodo tempestatem, surgentibus Hædis, innuit: quod secundum Plinium, Septembris 29, secundum Columellam, ipso Septembris 27, in anno Juliano, fieri solitum erat. Quare, si asportatio Flacci circa hoc potissimum tempus acciderit, id est, circa Octobrem medium; Tisri etiam 23,

p Operum ii. 548. 14–19. De Legatione. q Historia Naturalis, xix. 1.
r Astronomicon, i. 365.

asportationis dies jam antea a nobis probabiliter constitutus, circa medium quoque Octobrem eo anno exciderit necesse est.

De anno constare potest. Satis est enim apud Dissertationes nostras monstratum [s], annum illum nullum alium fuisse nisi Caii Cæsaris secundum, Domini nostri duodequadragesimum. A. D. autem 38, secundum kalendarium sacrum, Scenopegia ab Octobris 2 ad Octobris 9 celebranda erat: secundum Ægyptium, ab Octobris 7 ad Octobris 14. Ergo Tisri 23 Octobris 15; quod mirum in modum cum supradictis convenit.

Adprehensus est igitur Flaccus, ultimo Scenopegiæ die, ipso Tisri 22, Octobris 14: Romam asportari cœptus, ineunte hyeme, adverso navigationis tempore, postridie, Tisri 23, Octobris 15. De quibus illud etiam notatu dignum est, Octobris 14, A. D. 38, in feriam 5, Octobris 15 in feriam 6, incidisse. Quæ autem narrantur, de effusis ipso mane hujus asportationis in maris litus Judæis, et de precibus ibidem ab iisdem publice habitis, id omne gratiarum actionis tantum caussa, a liberatis magno ac diutino metu Judæis, factum est: quod procul dubio etiam ullo die, quo primum fieri deberet et fieri posset, facturi erant. Ad mare autem potissimum se recipiebant, quia Proseuchis et Synagogis suis jam antea spoliati erant. Nulla autem in his nec conventus illius, ultimo Scenopegiæ die de more habendi, nec de die sabbati, nec de stata ad Synagogas eo die frequentia, mentio fit.

[s] Diss. xiii. vol. i. 445. nota.

CAPUT IV.

Historiæ Evangelicæ Recensio. Pars Prima. De Quatuor Evangeliis.

RECENSIO illa, quam suscepturi sumus, nihil aliud sibi propositum habet, nisi temporum atque epocharum, pro rerum gestarum serie ac diversitate, per Evangelia simul atque Actus Apostolorum, ordine suo, considerationem ac constitutionem: ceteris ferme universis, quæ justi in libros eosdem commentarii instar essent, supersedere statuit.

Et disceptationes quidem, quibus ad hujusmodi operam perpetuo opus futurum esset, apud Dissertationes nostras, quæ sermone vernaculo conscriptæ, A. D. 1830 primum editæ, ante biennium multis numeris auctiores rursus in lucem prodierunt, uberius et plenius tractatæ sunt: ubi pro multiplici rei ipsius varietate, atque infinitis pæne quæstionibus in quas sese quaquaversus propagat, chronologiæ omnis sacræ nostræ penitius atque altius jacta sunt fundamenta, erecta et superextructa unius cujusdam et justæ fabricæ compage ac cohærentia. De præsenti quod agimus negotio; satis habemus, Introductionis seu Proparasceues loco, ad capita bina illa superiora, Prolegomenorum horum secundum ac tertium, provocare; ubi, argumentationis genere quodam, simplice quidem ac brevi, nobis autem judicibus non simpliciore quam certiore, ad duorum, (quæ principiorum nomine proposito nostro maxime necessaria sunt,) unius nimirum, anni natalis Dominici,

alterius, diei ejusdem probabilis admodum, ne dicamus certæ atque indubitandæ, constitutionis, investigationem recta contenditur: quibus concessis et positis, facilis ad cetera, atque expedita, substernitur via.

De serie autem et distributione rerum in genere, vestigiis Harmoniæ nostræ insistere placet; a qua, nec post primas, nec post secundas, nec post tertias denique, de rebus iisdem, curas ac meditationes nostras, in ullo quolibet gravioris momenti, atque inprimis in rerum ac temporum summa, cur discederemus caussa satis sontica nondum comperta est. In nonnullis autem ac levioribus atque adhuc in medio relictis, sive supplendis quæ desiderabantur, sive refingendis quæ propius vero constitui possent, sive concinnandis inter se ac componendis omnibus, et variationi ab exemplari nostro, et pro nobismet apud æquos judices excusationi, locum patere arbitrati sumus; auctoritate præsertim subsidii fretis, quo nemo caruerit oportet, qui hujusmodi materiam satis feliciter tractaturus sit, ipsi autem ad curas nostras priores ac secundas antehac destituti, ad tertias hasce, ac postremas, jam tandem aucti sumus: KALENDARIO scilicet anni sacri perpetuo; instrumento sane ad rem chronologicam tum Veteris tum Novi Testamenti omnium maxime necessario, a nemine autem, quod nos scimus, huc usque suppeditato; ab omnibus potius tanquam optando et votis expetendo magis, quam sperando vel exspectando, habito.

Missis igitur factis ceteris omnibus, ad res ipsas prævertamur: de quibus etsi summatim ac currente calamo tantum, ita tamen, uti speramus, accurate, atque ita plene ac per particularia, dicturi sumus, ut nihil omnino, de quo judicium aliquod aut ferri debeat, aut ferri possit, vel in præsenti hac recensione non judica-

tum ac constitutum iri, vel apud Dissertationes nostras jam antea judicatum ac constitutum non repertum iri, confidenter pæne promittamus. Ac primum de visione angeli, Zachariæ, Joannis Baptistæ patri, apud Templum facta; unde tum Harmonia nostra, tum Historia Evangelica, secundum Divum Lucam, narrationis suæ contextum ac decursum orditur.

SECTIO I.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS PRIMA.

§. ii. Duo suffitus adolendi apud Judæos tempora erant; primum post sacrificium juge matutinum, secundum post vespertinum [a]. Sacrificium juge matutinum ab hora prima ad horam tertiam; vespertinum ab hora nona usque ad undecimam fere continuari solitum erat. Circa hanc autem tempestatem, Octobris scilicet 5, A. CH. N. 6, decem ferme post æquinoctium auctumnale confectum diebus, hora prima cum hora nostra 6 A. M: tertia, cum nostra 8 A. M: nona cum nostra 2 P. M: undecima cum nostra 4 P. M. ferme inire cœperit*. Ergo et circa 8. 30 A. M. nostram, et 3. 30 P. M. nostram, suffitus adolendi, Octobris 5, A. CH. N. 6, justum tempus. Vel hoc igitur vel illo tempore facta angeli ad

[a] Vide Dissertationes nostras, xli. vol. iii. 165.

* LATERCULUS Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro Meridiano Hierosolymitano.

A Solis ortu, ad Solis occasum, Octobris 5, A. CH. N. 6.

		° ′ ″			° ′ ″
Hora i	Oct. 5	6 9 0 A.M.	Hora vii	Oct. 5	12 0 0
— ii	—	7 7 30 —	— viii	—	12 58 30 P.M.
— iii	—	8 6 0 —	— ix	—	1 57 0 —
— iv	—	9 4 30 —	— x	—	2 55 30 —
— v	—	10 3 0 —	— xi	—	3 54 0 —
— vi	—	11 1 30 —	— xii	—	4 52 30 —

Solis occasus, hora prima noctis, 5. 51. P. M.

Zachariam manifestatio: inter quæ, comparato Danielis ix. toto, atque inprimis ix. 21, posterius nos quidem credibilius duxerimus. Neque enim temere factum, ut idem angelus, qui prophetiam illam de lxx hebdomadis in principio Danieli revelasset, ad hæc primum Zachariæ, deinde Mariæ virgini annuntianda, ac nota facienda, quæ cum completione ejusdem quam arctissime conjuncta erant, missus sit. In cujus conjunctionis probationem, adeat lector Dissertationes nostras, Append. Supplementum ad Dissert. xv. atque ad Append. Dissert. xix. vol. iv. 259 et sqq.

Ceterum notatu dignum est, mutum futurum Zachariam, eo usque dum omnia, quæ ab angelo prædicta erant, suo tempore et suo ordine absoluta essent. Inter hæc et nominis impositio; quod nisi post diem octavum nati pueri de more non fiebat. Ergo non tantum ad natum usque Joannem, sed ad diem octavum postea, mutus futurus Zacharias: id quod factum fuisse videmus. Totum illud temporis secundum Judæos annus integer, ac duodeviginti dies; secundum nos, annus integer et dies septem.

§. iii—ix. Secretum Elisabethæ quinquemestre, secundum morem loquendi Divo Lucæ usitatum, de mensibus totis quinque omnino intelligendum est: alioquin non quinquemestre simpliciter, sed *quasi* quinquemestre dictum fuisset. Unde rationes nostræ mirum in modum confirmatæ prodeunt. Siquidem conceptum Joannem Tebeth Judaïci 27, Januarii Juliani 5, feria 6, A. CH. N. 5, constituimus. Ergo tribus diebus ante mensem Tebeth confectum. Constat autem conceptum non statim sensu percipi posse; contra etiam, vel tribus vel quatuor minimum ad justam ejusmodi perceptionem stabiliendam septimanis opus esse:

secretum autem Elisabethæ ex eo tempore, quo sese uterum gestare jam sibi ipsi conscia facta est, cœptum. Ergo ante finem Sebat Judaïci, Februarii 6, feriam 3, vix initium ejus factum: ipso autem Adar Judaïco, Februarii 7, feria 4, cummaxime ineunte, et secretum ipsius pariter inire poterat. Inde ad Thamuz Judaïci 30, Julii 4, feriam 5, menses quinque completi; quibus secretum illud, mensibus quinque totis observatum, adhuc continuatum fuerit necesse est *.

Ergo conceptus Joannes 92 diebus post visionem Zachariæ in Templo factam; quod quartam fere anni vertentis partem valet: 89 autem diebus post reditum

* Rationum quidem nostrarum nihil interest, sive exeunte mense Sebat, sive ineunte, secretum Elisabethæ cœptum fuerit; modo secreti ipsius initium ultra mensem Sebat non excurrat: quod etiam non excurrisse, certissimum pæne judicamus. Si exeunte Sebat inierit, exeunte Thamuz finitum fuerit: si cum illo ineunte inceperit, cum hoc ineunte desierit: utroque autem in casu, sextus a concepto Joanne mensis, nondum confecto Elisabethæ secreto, instare cœperit; dies autem Annuntiationis, ad Thamuz 26 ut supra constitutus, sive pendente adhuc secreto eodem, sive jam præterito, exciderit, parum refert. Probabilius quidem per se esse judicamus, non nisi secreto Elisabethæ jam finito missum esse ad Virginem Angelum; probabilius etiam, et cum Lucæ verbis maxime conciliandum, vel ineunte mense illo vel exeunte, in quem initium ejus maxime inciderit, secretum ipsum primum institutum esse.

Et sane de tempore, quo conceptus jam factus sensu etiam percipi primum possit; Aristoteles, De Animalium Historia, vii. 3. post septimum diem fieri posse tradit: quam Hippocratis quoque sententiam fuisse e Macrobio, De Somnio Scipionis, i. 6. colligi potest. Post decimum autem a conceptu diem, jam certiora quædam ejusdem rei symptomata de more fieri, tum Aristoteles, loco citato, tum post eum Plinius, Hist. Nat. vii. 5. tradidit. Quæ si vera sunt, secretum Elisabethæ etiam ab octavo post conceptum Joannem die institui poterat: octavus autem a concepto Joanne dies, in Sebat 5, Januarii 13, feriam 7 incidisset: a quo die quintus postea mensis cum ipso Thamuz 4, Junii 8, feria 7, die tertio sexti a concepto Joanne mensis (qui Sivan 27, Junii 2, feria 1, inierit necesse est) exire paratus fuisset. Annuntiatio autem, ejusdem mensis die 26 facta, 22 postea diebus contigisset.

ipsius domum: 24 porro diebus post festum Encæniorum proximum, cujus ultimus semper dies Tebeth 3; qui, A. CH. N. 6, in Decembris 12, feriam 3 incidit. Quæ ideo monenda duximus, ut fides fiat rationes nostras nulla ex parte laborare: neque ex statis ephemeriarum vicibus, quibus sacerdotes inprimis, neque ex solennibus feriarum gentilium ac publicarum temporibus, quibus tum ipsi, tum ceteri omnes, Hierosolymam cogendi erant.

Mensis igitur sextus, de quo Lucas, i. 26 et 36, (e quorum posteriore a concepto Joanne dinumerandum eum esse constat,) cum Thamuz Judaïci 1, Junii Juliani 5, feria 4, inierit; cum Thamuz 30, Julii 4, feria 5, exierit. Inter has epochas, missus ad Virginem angelus, atque Annuntiatio, quæ dicitur, facta est. De die missionis, nihil ultra conjecturam constitui potest. Nobis autem omnino verisimile videtur, circa exeuntem potius, quam ineuntem, aut etiam medium, mensem excidisse. Ergo et pendente secreto illo Elisabethæ quinquemestri, et nondum confecto, etsi jam ad finem spectante, contigerit: atque haud scimus an ipso Thamuz 26, Junii 30, diebus 177, id est mensibus lunaribus et justis sex, post conceptum Joannem, rectissime constitui possit. Ergo, feria prima, quinque diebus ante conceptum Dominum, annuntiatio ejus futuri facta; conceptus ipse, pro rationibus nostris, quinque postea diebus, Ab Judaïci 1, Julii 5, feria 6: ubi et dies hebdomadis notandus: nam idem ille fuerit quo et Protoplastus Ada creatus. Ergo et creationis hominis in principio, et mysterii seu *οἰκονομίας* circa Incarnationem inchoandæ ac defungendæ, feria hebdomadis una atque eadem.

De Mariæ postmodum ad Elisabetham invisendam

profectione; colligi potest ex Elisabethæ verbis, Lucæ i. 42–45, non ante, quam mater Domini jam fieri cœperat, ad ipsam delatam: ergo, non ante Ab 1, Julii 5, feriam 6, profectam. Constat autem, ante natum Joannem domum reversam: ergo, non ultra Marchesvan 4, Octobris 4, feriam 6, apud Elisabetham fuisse. Constat etiam, plus quam duobus, minus quam tribus mensibus integris, apud eandem deversam. Sequitur igitur, ineunte mense quodam profectam, exeunte mense alio quodam reversam esse. Unde fides quam maxima fit, circa principium Ab, mensis quinti, profectam, circa finem Tisri, mensis septimi, reversam: quod mirum in modum cum Lucæ verbis, i. 56. congruerit.

Constituatur enim, Julii 7, feria 1, de domo profectam Mariam; die tertio Ab, mensis quinti, profecta fuerit: Septembris autem 29, feria prima, reversam: die 28 Tisri, mensis septimi, reversa fuerit. In medio dies 83, sex tantum diebus quam trimestre lunare justum minus; quod merito dici poterat ὡσεὶ μῆνας τρεῖς. Non autem totum hoc temporis apud Elisabetham Maria. De Nazaretha enim, ad montana Judææ, atque in primis ad Hebronem, (siquidem Hebrone cumprimis domicilium Zachariæ fuerit,) quatridui, atque etiam quinque dierum, iter *. Ergo tametsi Ab 3, feria 1, profecta Maria, tamen non ante Ab 7, feriam 5, apud Elisabetham jam esse poterat. Inde ad Tisri 28, dies solidi 80.

* De calculis hujus generis, quorum frequens mentio in sequentibus futura est, illud in limine monendum videtur; distantias nostras locorum omnes e Tabulis D'Anvillii Geographicis desumtas esse: iter autem diurnum ordinarium viginti quatuor fere millibus passuum Romanorum, quæ duodeviginti vel undeviginti nostra valent, æstimari; viginti autem millia recti itineris, de chartis seu mappis sumta, ut plurimum viginti quatuor per flexus viarum æquiparare supponi. Vide Dissertationes nostras, Append. Diss. xxvi. vol. iv. 525–530.

Illud præterea de rationibus hisce notatu dignum; quod sive fortuito contigerit, sive prudenter ac consulto factum sit, ea quæ superius posita sunt a nobis omnia ex æquo illustrat et confirmat: profectionem nimirum Mariæ, cui Elisabetham adire propositum erat, ante quinquemestre illud, quod ipsa secreto et solitudini observandæ impendendum jam antea decreverat, ad exitum perductum, susceptam non esse; neque ante quam copiam sui cognatis vel amicis vel familiaribus suis ipsa de novo præbere parata esset, conventam a Virgine Elisabetham. Secreti illius, pro rationibus nostris, ultimus dies Thamuz Judaïci 30, Julii 4, feria 5. Profecta est autem Maria Ab 3, Julii 7, feria 1, tertio postea die. Ceterum nemo miretur oportet, quod virgo et parentibus orbata, (quæ verisimillima Ecclesiæ a principio traditio obtinuit [b],) et viro desponsa, et quod maximum, mater Domini jam fieri cœpta, trimestre illud, Œconomiæ circa Incarnationem defungendæ primum, non apud se, sed apud matronam ætate provectam, gravitatis et probitatis spectatæ, atque eamdem cognatam suam, agere decreverit: nedum quod frequentiam illam tum mulierum, tum virorum, quæ circa puerperam Elisabetham mox futura erat, ante natum Joannem reversa, prævertere statuerit.

De tempore autem hujus ad domum suam Mariæ reversionis, pendent ea, quæ in principio Evangelii secundum Matthæum, i. 18–25, leguntur. Sponsalia inter Josephum ac Mariam, jam antea contracta, tunc cummaxime ad finem spectabant. Sponsalia autem inter Judæos aut annis integris, aut integris annorum partibus, de more constabant [c]. Igitur non nisi mense quodam exeunte ad finem spectare poterant. Jam vero

[b] Vide Dissertationes nostras, xvi. vol. ii. 86–88.
[c] Ibid. Dissert. xiv. vol. i. 471, 472.

si domum profecta est Maria non ante Tisri 28, Septembris 29, feriam 1; non ante Marchesvan 3, Octobris 3, feriam 5, domum reversa, atque apud se esse poterat. Non igitur mense Marchesvan, atque eodem Incarnationis Dominicæ quarto ineunte; sed, ut primum, mense eodem exeunte, et mense Incarnationis quinto, Chisleu Judaïco, ineunte, gesta hæc esse poterant, quæ loco citato a Matthæo narrantur. Ergo, circa Chisleu Judaïci 1, feriam quintam, ineuntem, Octobris 30, deliberatio illa Josephi noctu potissimum facta est. Postridie, Chisleu 1, Octobris 31, feria 5, recepta ad eum Maria. Ita 26 omnino diebus post natum Joannem contigerint hæc: unde et novam huic parti Harmoniæ nostræ sectionem, vi scilicet, adjicere, sequentium autem duarum, vii scilicet atque viii, locum inter se permutare coacti sumus.

Illud præterea diligenter animadvertendum; ephemeriam scilicet Abijæ, quæ ad Tisri 18, Septembris 30, feriam 7, A. CH. N. 6, primum in Templum ingressa erat; ad Nisan autem 8, Martii 16, feriam 7, A. CH. N. 5, iterum in statione fuerat; tertium, ad Elul 29, Augusti 31, feriam 7, eodem anno, ministricem ex ordine futuram esse. Die autem illo ingressa, septimo postea die, Septembris 7, Tisri 6, feria 7, egressa de more fuisset. Dies jejunii, sive expiationis, post quatriduum, Tisri 10, Septembris 11, feria 4. Dein Umbraculorum, seu Tabernaculorum, primus statæ solennitatis dies, Tisri 15, Septembris 16, feria 2. Totum hoc temporis, ab Elul scilicet 29, Augusti 31, usque ad Tisri 15, Septembris 16, apud Hierosolymam retentus esse Zacharias fingatur licet. Natum Joannem ante Octobris 5, Marchesvan 6 feriam primam ineuntem, non supponimus. Ergo 12 diebus post festum Umbraculorum seu Scenopegiæ; cujus ultimus semper dies Tisri 22. Unde et Hiero-

solymis adhuc Zacharias ad Tisri 22, et apud se, tum Marchesvan 6 tum Marchesvan 13, postea esse potuit. Item, tametsi Octobris 5, non tamen die sabbati natus est Joannes: et tametsi Octobris 12, non tamen die sabbati circumcisus. Quæ de eo ut facta prærogativæ gratia statuimus, ad exemplum eorum quæ postea circa Dominum Jesum constituantur necesse est, et ferme revera contigisse comperta sunt.

§. x. Dies natalis Domini secundum nos Nisan Judaïci 10, A. CH. N. 4. Colligimus autem ex Divo Luca [e], noctu potissimum, saltem post solis occasum, natum eum esse: id quod et traditione Ecclesiæ a principio usque confirmatum est [f]. Ergo, et Nisan 10 et feria 1, utroque ineunte natus est. Nisan autem 10 a solis occasu, sive hora sexta P. M. pro rationibus kalendarii nostri, ad mediam usque noctem, Aprilis Juliani 5; a media autem nocte ad idem rursus tempus, id est ad horam sextam P. M. nostram, Aprilis 6, responderit *. Ergo in anno

* LATERCULUS Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro meridiano Hierosolymitano.

A solis occasu Aprilis 5, ad solis ortum Aprilis 6, A. CH. N. 4.

Hora			Aprilis		°	′	″	
Hora	i	Noctis	Aprilis	5	6	13	0	P. M.
	ii	——	——	—	7	10	50	
	iii	——	——	—	8	8	40	
	iv	——	——	—	9	6	30	
	v	——	——	—	10	4	20	
	vi	——	——	—	11	2	10	
	vii	——	Aprilis	6	12	0	0	A. M.
	viii	——	——	—	12	57	40	
	ix	——	——	—	1	55	20	
	x	——	——	—	2	53	0	
	xi	——	——	—	3	50	40	
	xii	——	——	—	4	48	20	
Hora	i	Diei	Aprilis	6	5	46	0	A. M.

[e] Luc. ii. 6–20. [f] Vide Dissertationes nostras, xii. vol. i. 402. notam.

solari atque eodem Juliano, pro re nata, sive Aprilis 5 sive Aprilis 6 Domini quotannis natalis: in anno autem sacro, atque eodem lunari, nullus nisi Nisan 10. Apud Judæos autem pars vigintiquatuor horarum, seu nychthemeri unius, quævis totam valebat: sin minus, etiam Dominus noster post cruci adfixionem, ante resurrectionem suam, tribus nychthemeris in sepulcro egisse nequiverit. Hujus igitur computandi moris nihil intererat, an Nisan 10 ineunte, an eodem exeunte, natus fuisset. Idem prorsus nychthemeron, atque idem totum, natale ipsius perpetuis postea temporibus reputandum erat.

Quamobrem nemo nobis objecerit, oportet, quod tempore Exodi, A. CH. N. 1560, juxta rationes nostras, Aprilis Juliani 5 cum Nisan Judaïci 10 exeunte, A. CH. N. 4 idem dies cum Nisan 10 ineunte concurrerit. Agnum siquidem, ad Pascha destinatum, decimo mensis primi die seligendum et seorsum reservandum verbis conceptis præscriptum est; num vero decimo illo ineunte, an eodem die exeunte, apud Exodi xii nihil ῥητῶς traditum est. Itaque in medio relictum; et procul dubio de consulto. Inde enim eventurum erat, ut quemadmodum quacunque nychthemeri illius parte separatus agnus, idem tamen ad Pascha suo tempore immolandum satisfacturus erat; ita, quacunque Nisan unius ac decimi parte natus Christus, agno tamen illi, ad Pascha destinato, pari jure responsurus esset: qui tamen jure optimo eidem responsurus fuerit, nychthemero eodem illo ineunte natus: unde et totum illud, quod in Nisan lunaris et sacri decimum unum cadebat, natalibus suis plenissime consecraverit. Idem tamen postea, A. D. 30, quatuor ante patiendum diebus, Nisan eodem decimo exeunte, Aprilis Juliani primo, agni illius personam gerens, qui quatuor postea diebus Paschæ nomine immolandus erat, circa horam ter-

tiam P. M. nostram, nonam Judaïcam et καιρικὴν, coram Deo apud Templum sese constituit.

§. xiii et xiv. Magos, circa Nisan 10, Aprilis 6, feriam 1, A.CH.N. 4, de patria sua profectos, ad exemplum eorum quæ in re consimili, itinere scilicet tum ab Ezra primum, tum a Neemia iterum, ab iisdem ferme orientis regionibus ad eandem Judææ partem, obeundo et conficiendo, ipsis testibus obtinuisse constat [g]; circa Ab 10, Augusti 2, feriam 7, Hierosolymam delatos esse supponimus. Unde quatuor menses, atque iidem fere justi, in singulis hisce itineribus positi.

Post septem ferme dies, id est circiter Augusti 9, Ab 18 feriam 1 *ineuntem*, Bethlehemum dimissos esse conjicimus: quod noctu potissimum, post solis saltem occasum, factum, ex Matthæo, ii. 10–12, colligi potest. Bethlehemum non ultra horæ unius ac dimidii iter ab Hierosolymis distabat. Itaque circa solis occasum *, id

* LATERCULUS Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro meridiano Hierosolymitano.

A solis occasu Augusti 9, ad solis ortum Augusti 10, A. CH. N. 4.

			h. ′ ″
Hora i	Noctis	Augusti 9	6 43 0 P. M.
ii	——	—— —	7 35 50
iii	——	—— —	8 28 40
iv	——	—— —	9 21 30
v	——	—— —	10 14 20
vi	——	—— —	11 7 10
vii	——	Augusti 10	12 0 0 A. M.
viii	——	—— —	12 52 50
ix	——	—— —	1 45 40
x	——	—— —	2 38 30
xi	——	—— —	3 31 20
xii	——	—— —	4 24 10
Hora i	Diei	Augusti 10	5 17 0 A. M.

[g] Vide Dissertationes nostras, xviii. vol. ii. 138–142.

est, (Augusti Juliani 9, A. CH. N. 4,) circa $6^{h}. 43'$ P. M. nostram, profecti, hora secunda noctis exeunte, sub primam facem Bethlehemo adpropinquare poterant: crepusculi enim apud Judæos, hac potissimum tempestate, longitudo, sive inter solis occasum et primam facem intervallum, horarum ferme nostrarum unius et semissis fuerit. Ita manifestatio stellæ, iter adhuc facientibus oblata, sub illo ipso tempore quo stellæ primum apparere incipiunt, id est, tertia ferme inter solis obitum ac primam facem intervalli illius, quod crepusculum vocatur, parte jam præterita, oblata sit. Id circa $7^{h}. 13'$ P. M. nostram, tertia etiam itineris parte confecta, acciderit.

Hac ipsa nocte a Deo admoniti ne ad Herodem reverterentur, postridie, Ab nimirum 18, Augusti 10, feria 1, alia via in patriam reversi fuerint. Nocte autem insequenti (quod verisimillimum est) admonitus a Deo Josephus quoque, fugam in Ægyptum capessiverit; Ab 19, Augusti 11, feria 2, instante. De regione Ægypti ubi se receperit silet Evangelium. Nos autem Nomum Heliopoliten potissimum fuisse conjecerimus: ubi et Templum Oniæ[g], quod adhuc supererat, exstructum erat, atque Israëlitarum apud Ægyptios domicilium in principio fuerat. A Bethlehemo Heliopolin usque pedibus placide eunti 14 dierum iter: et, si bidui moram in itinere pro binis sabbatis adjeceris, 16. Ergo, si Ab 19, Augusti 11, feria 2, profectus Josephus, ad Elul 6, Augusti 27, feriam 4, jam ad Heliopolin adesse poterat.

§. xv. Constat ex Josepho, non minus quam diebus 14 ante Pascha, A. CH. N. 3, id est ante Martii 30,

g Vide Dissertationes nostras, xv. vol. ii. 68–79.

mortuum esse Herodem [h]. Ergo circa Adar 30, Martii 16, feriam 2, mortuus est. Ante quinque autem mortis dies, id est, circa Adar 25, Martii 11, interfectus ab ipso Antipater filius ejus: de quo, non minus quam de Herode, intelligi possunt Angeli verba, Matthæi ii. 20. Etsi illud non necessarium. Et sane, quo tempore Magorum adventus ante annum cummaxime exciderat, vel adhuc apud Italiam moram trahebat Antipater, vel reditum tantum in Judæam adornabat [i].

Probabile tamen nobis videtur, non ante justum Paschæ diem, Martii 30, aut aliquanto serius, etiam post mortem Herodis, de reditu ex Ægypto admonitum a Deo Josephum. Nam neque Israëlitarum in principio Exodus ante Pascha facta fuerat; et secundum ea quæ apud Dissertationes nostras [k], conjecturæ nomine, de hac ipsa quæstione proposita sunt, diebus tanquam annos valentibus, Domini Jesu in Ægypto nunc ipsum commoratio habitationi etiam Israëlitarum in genere, ibidem ante Exodum actæ, de consulto responderit.

Descensus in Ægyptum, A. CH. N. 1778, ut nos quidem judicamus, constituendus est: Exodus autem A. CH. N. 1560. Anni in medio 218 justi. Pari ratione, ab Elul 6, Augusti 27, A. CH. N. 4, usque ad Nisan 17, Aprilis 2, A. CH. N. 3, dies 218 pleni. Adde quod feria 5, A. CH. N. 1560, Exodus facta est: feria etiam 5, Aprilis 2, A. CH. N. 3. Itaque circa Nisan 17, Aprilis 2, feriam 5, profectus ex Ægypto Josephus, pari atque antea ratione, tridui tantum mora pro tribus sabbatis interposita, circa Aprilis 18, Jar 5 feriam 1 *ineuntem*, Hierosolymis rursus adpropinquare poterat. Inde, rescitis quæ cummaxime

h Dissertationes nostræ, vi. vol. i. 302–314. i Ibid. xiv. vol. i. 474, 475: 516–518, nota. k Ibid. xii. vol. i. 392–394, nota.

circa Pascha proximum Hierosolymis acciderant [l], perterrefactus, atque ubinam se reciperet incertus, eadem nocte a Deo per somnium admonitus, postridie, Jar 5, Aprilis 19, feria 1, Galilæam versus iter instituere, quarto postea die, Jar 8, Aprilis 22, feria 4, Nazaretham jam delatus esse potuit.

§. xvi. Pro computandi ratione Judæis usitata [m], annorum xii factus fuerit Dominus ipso Nisan 10, Aprilis 5, feria 7, A. D. 8. Quod multis nominibus memorabile; inde enim factum, ut tum in anno lunari ac sacro, tum in anno solari et Juliano, natalis ejus unus atque idem fuerit; feria autem hebdomadæ nunc ipsum septima atque exiens, quæ antea, A. CH. N. 4, prima atque iniens erat.

Post hunc igitur diem, ante Pascha tamen proximum, id est Aprilis 9, feriam 4, Hierosolymam deductus, annorum xii factus, juxta computationem Judæorum in rebus hujus generis, deductus fuerit. Peracto Hierosolymis Pascha atque Azymorum diebus; Nisan 22, Aprilis 17, feria 5, primum domum profecti parentes ejus. Post diei unius iter, circa finem nimirum diei profectionis primi, desideratus puer Jesus. Postridie igitur, cum primum poterant, Nisan 23, Aprilis 18, feria 6, Hierosolymam reversi. Die perendino tandem, ratione temporis inita ex quo Hierosolymis primum profecti erant, id est, secundum computandi morem sacris litteris usitatissimum, tertio die, repertus apud Templum Jesus. Ita Nisan 24, Aprilis 19, et die sabbati ibidem conventus est; quod et factu futurum per se omnino verisimillimum erat: siquidem ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς, id est,

[l] Dissertationes nostræ, xii. vol. i. 393, 394, nota. et vi. ibid. 304. [m] Ibid. xii. vol. i. 396–399, nota. 412, nota.

non magis apud ædes ipsi proprias, quam die eidem consecrato, præ ceteris conveniendus erat. Postridie, Nisan scilicet 25, Aprilis 20, feria 1 (neque enim maturius propter sabbatum proficisci poterant) domum cum parentibus redit; post tertium diem una cum iisdem domi jam adesse potuit.

SECTIO II.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS SECUNDA.

§. ii–v. Annorum triginta perfectorum factus esse debuit Joannes, ad diem Marchesvan 5, Octobris 4, feriam 1, A. D. 26: quo etiam tempore natalis ipsius tum apud annum lunarem et sacrum, tum apud solarem et Julianum, unus atque idem futurus erat. Itaque, circa hoc potissimum tempus, instinctu Spiritus Dei ad ministerium suum inchoandum excitatum de eremo eum esse crediderimus. Mox, ineunte Novembri Juliano, quæ pluviis auctumnalibus, atque iisdem primis, pro climate Judææ, ut plurimum stata tempestas, baptizare etiam inceperit: aliquantum autem temporis in prædicando positum esse, ante quam baptizandi initium factum sit, omnino verisimile. Cujus si circa Chisleu 17, Novembris 15, feriam 1, initium factum; idem postea ministerium, atque eodem in genere, usque ad Jar 22, Maii 16, feriam 1, (qui dies ipsius in carcerem conclusi, secundum rationes nostras,) sine intermissione exercitatum, diebus 182, id est sex mensibus ferme justis, continuatum ac confectum fuerit.

§. vi–xvi. De epocha baptismi Dominici, qualis per traditionis fidem posteritatis memoriæ consignata fuisse videtur, alibi disputavimus[n]. Quod ad Tebeth

[n] Prolegomena, Caput Tertium, 146–149.

28, Decembris 25, A. D. 26, qui dies cum Sebat 28, Januarii 24, vero baptismi die, ex traditione illa perperam accepta, a nonnullis confusus esse cernitur; præter ea quæ superius a nobis dicta sunt, illud etiam in primis notandum est; quod circa asperrimum hyemis, qualis est hyems pro climate Judææ, sin minus perpetuis annis, illo tamen anno, A. D. 26, excidere debuerit: hujus enim sævities a Decembris 12, apud annum Julianum, usque ad Januarii 20, ex testimonio itinerariorum scriptorum atque *αὐτοπτῶν* [o] propaganda est. Quare, si Tebeth 28 baptizatus est Dominus, in asperrimo hyemis baptizatus fuerit, in asperrimo hyemis quadraginta illos, post baptismum proximos, jejunii continui dies apud eremum peregerit, in asperrimo hyemis post jejunium tentatus sit, necesse est; quod, nobis judicibus, nequaquam probabile, contra etiam verisimilitudini omnimodis repugnat.

Itaque Sebat potius, mensis proximi, 28 baptizatum omnino statuendum est: unde et Januarii 24, A. D. 27, quatuor diebus post actam hyemis inclementiam, cum jam cælum mitescere procul dubio cœpisset *, et quod

* Veris initium apud omnes pæne antiquos, et pro omni pæne climate, longe ante æquinoctium vernale constitui solitum est. Marco Varroni, Columellæ, ac Plinio, medio ferme inter solstitium brumale atque æquinoctium vernale puncto consistit, diebus xlv fere ab utroque distans, circa flatus Favonii statum tempus; quod a Februarii 6 usque ad 9 circumscribunt. Cæsari atque Ovidio veris initium Februarii 9. Astronomis Græcis, Democrito, Metoni, Euctemoni, Eudoxo, Dositheo, vel ante vel circa idem tempus. Plerisque cum hirundinis adventu, Februarii 20, 22, 23, vel 24. Ægyptiis, secundum Ptolemæum, Februarii 9, secundum Plutarchum De Iside et Osiride, neomenia Phamenoth, id est Februarii 25; Hipparcho Martii 9: atque ad eandem ferme rationem reliquis. Quod si pro climate Græciæ vel Italiæ constituendum, a fortiori pro Judæa. Inter hanc atque Ægyptum arctissima sane cognatio. Apud Ægyptios au-

o Dissertationes nostræ, xi. vol. i. 373, nota.

etiam notatu inprimis dignum, feria prima baptizatus fuerit. Ergo eodem quoque die jejunii illius seu *νηστείας τετταρακονθημέρου* initium fecerit; de quo, circa mane diei cujusdam inchoatum ad mane usque quadragesimi postea diei continuatum esse, e Matt. iv. 2. colligi potest: qui et ipse Judæus, et pro Judæis Evangelium suum contexens, apud quos *nox diem ducebat*, quadraginta *dies* et quadraginta *noctes* de jejunio illo non posuisset, nisi circa mane diei inceptum, circa mane etiam, post quadraginta dies, terminatum fuisset.

Ergo Sebat 28, Januarii 24, feria 1, jejunium Domini statim post baptismum, (qui etiam pro his rationibus tempore diei matutino exciderit,) mane cœptum; Veadar 9, Martii 5, feria 6, post solidos quadraginta dies, quadragesimo primo, mane terminatum. Inde, sine mora, tentatio triplex; eodem tamen die tum incipienda tum ad finem perducenda: de quo nihil est caussæ cur addubitemus. Ergo, eodem ipso Veadar 9, Martii 5, feria 6: quod et notatu inprimis dignum. Ita enim feria 6 tentatus et secundus ille Ada, ac tentationi superior factus sit, qua Ada Protoplastus, secundum Ecclesiæ traditionem [p], et tentatus et tentationi inferior repertus, atque e Paradiso ejectus est.

Pridie tentationis, die jejunii ultimo, conventum a legatis Synedrii Joannem esse crediderimus [q]. Etenim postridie conventus illius manifestatus Joanni Jesus: ergo et jejunio et tentatione jam peracta: quod nos

tem mensis December hyemi majori de parte adnumerandus erat; Januarius contra, extremus saltem, quemadmodum et Februarius totus, vernalis inprimis, mitis, saluber, jucundus, et multis nominibus inter gratissimos anni menses recensendus.

p Irenæus, v. xxiii. 425.

q Dissertationes nostræ, xxi. vol. ii. 202, et sqq.

quidem uno atque eodem die fieri potuisse opinamur. Prima quidem tentatio apud eremum Jesum adgressa est: secunda super templum Hierosolymis constituerat: tertia super monte quodam dereliquerat; de quo silent Evangelia: Ecclesiæ traditio Quarantaniam prodit. Quæ tametsi maxime fuerit, tamen diei itinere a Bethabara ultra Jordanem sita, de qua Joann. i. 28, non distabat: teste enim Maundrello nostrate, sex tantum horis, in itinere Hierichuntem versus ad lævum positus, ab Hierosolymis mons ille remotus erat; ideoque et Jordani fluvio, et Bethabaræ ultra ipsum sitæ, tanto propior. Facile igitur factu erat, ut tertia etiam tentatione jam antea peracta, Galilæam versus rediens Jesus, eodem ipso die, saltem circa exitum ejus, (quod rationibus nostris abunde satis futurum,) Joanni ad Bethabaram manifestus fieret.

Ergo Veadar 8, Martii 4, feria 5, pridie tentationis, interrogatus a legatis Synedrii Joannes. Veadar 9, Martii 5, feria 6, eodem ipso die, sed exeunte, tentatione jam peracta, sibi adpropinquans visus Jesus discipulis suis a Joanne primum quasi digito monstratus. Veadar 10, Martii 6, feria 7, idem de eodem, atque ab eodem, iteratum. Veadar 11, Martii 7, feria 1, Galilæam proficisci parat Jesus; scilicet quum primum poterat, salva sabbati religione. De Bethabara ad Canam tridui justum iter. Itaque non ante diem tertium, Veadar 14, Martii 10, feriam 4, inceperint nuptiæ illæ, apud Canam celebrandæ, ut iis interfuerit Jesus: ex eo die septem de more dies, id est ad Veadar 21, Martii 17, feriam 4 usque, occupaturæ. Postridie, Veadar nimirum 22, Martii 18, feria 5, Capernaumum descendere poterat Jesus; quod iter unius tantum diei. De Capernaumo Hierosolymam usque iter quatridui: et sabbati unius ratione habita,

quinque dierum. Ergo a Capernaumo non serius quam Nisan 5, Martii 31, feria 4 profectus, Hierosolymis apud Templum adesse poterat, Nisan 10, Aprilis 5, feria 2 postea. Ita, a Veadar 23, Martii 19, feria 6, usque ad Nisan 5, Martii 31, feriam 4, diebus in universum 12 Capernaumi commoratus fuerit: quod merito Joannes *οὐ πολλὰς ἡμέρας* dixerit.

Hierosolymis a Nisan 10, usque ad Nisan 21, ab Aprilis 5 usque ad Aprilis 16, minimum, adhuc egisse Jesum probabile est: Nisan autem 23, Aprilis 18, feria prima, in Judæam concessisse. Inde, ad Jar 19, Maii 13, feriam 5, Galilæam versus per Samariam iter institutum. Vesperi, eodem die, id est circa $6^h. 46'$ P. M. nostram*, Sychar, Sicima, seu Shechem superioris, Flaviam Neapolim inferioris, ævi civitatem deventum est. Ibidem biduo transacto, Jar 22, Maii 16, feria 1, ipso illo, pro nostris rationibus, Joannis in carcerem conclusionis die, iter in Galilæam continuatum. Ita diebus in universum 25, post profectionem ab Hiero-

* LATERCULUS Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro meridiano Hierosolymitano.

A solis ortu, Maii 13, usque ad solis occasum, A. D. 27.

					h.	′	″	
Hora	i	Diei	Maii 13	Circa	5	14	0	A. M.
	ii	——	—— —		6	21	40	
	iii	——	—— —		7	29	20	
	iv	——	—— —		8	37	0	
	v	——	—— —		9	44	40	
	vi	——	—— —		10	52	20	
	vii	——	Maii 13		12	0	0	P. M.
	viii	——	—— —		1	7	40	
	ix	——	—— —		2	15	20	
	x	——	—— —		3	23	0	
	xi	——	—— —		4	30	40	
	xii	——	—— —		5	38	20	
Hora	i	Noctis	Maii 13	Circa	6	46	0	P. M.

solymis, intervallum illud, quod in medio apud Judæam commorando positum est, constiterit [r].

§. xxii et xxiii *. De hoc circuitu, omnium primo a Domino instituto, ferme indubitate, ex collatis inter se Evangeliorum indiciis, (id quod ipsi demonstravimus [s],) colligi potest, mensis tertii sacri, seu Sivan, 13, Junii 6, feria 1, A. D. 27, susceptum esse: unde et circa finem mensis sexti, Elul, nimirum, Judaïci, conclusum fuisse conjectu proclive fuerit. Septimus enim apud Judæos mensis pæne totus feriatus: utpote qui kalendas seu neomeniam festo clangoris Tubarum, atque anni civilis novitate quadam, a sacri illius initio distinguenda, decimum postea diem τῇ νηστείᾳ, atque expiationis solennibus, octo totos dies, a quintodecimo usque ad vicesimum alterum, festo Umbraculorum, Tabernaculorum, seu Scenopegiæ, consecrandos et dedicandos habuerit. Nullum igitur Domini universæ Galilææ circuitum, post Pentecosten institutum, ante Tisri 1 non ad finem perductum esse opinati simus.

Itaque si concio seu sermo ille, a Matthæo v. 1–viii. 1. narratus, de monte quodam Capernaumo vicino habitus est, circuitu jam ad finem spectante habitum duxerimus. Jam vero, Elul 30, A. D. 27, in Septembris 19, feriam 1 incidit. Ergo non hoc die, sed tertio antea die, Elul nimirum 28, Septembris 17, feria 6, finito circuitu, et redeunte cummaxime ad Capernaumum Domino, sermonem illum habitum posuerimus. Ita a Sivan 13, Junii 6, usque ad hunc ipsum diem, diebus

* De sectionibus Partis hujus secundæ proximis, a xvi usque ad xxi, satis actum apud Dissertationes nostras; in primis Dissert. xxiii: quam lector, si libet, adeat oportet.

r Dissertationes nostræ, xxi. vol. ii. 210–214.

s Ibid. xxiii. Pars ii. vol. ii. 262. et sqq.

omnino 103 circuitus ille confectus fuerit: quod adprime cum iis convenerit, quæ apud Dissertationes nostras[t] circa hanc ipsam quæstionem, conjecturæ licet nomine, posita sunt. Et quemadmodum feria 1 post sabbatum inchoatus, ita feria 6 ante sabbatum conclusus est.

§. xxiv. Si ad annum ministerii Dominici primum, A. D. 27 scilicet, etsi ad finem vergentem, referenda hæc sectio, (quod nos quidem verisimillimum judicamus,) non serius quam mense Octobri ejusdem anni contigisse ea, quæ nunc tanquam gesta narrantur, e re ipsa, quæ circa piscatum quendam, super lacu faciendum, potissimum versatur, colligi potest: piscatus enim justa tempestas ultra mensem Octobrem, auctumnalium mensium primum, etiam pro climate Judææ, vix propagari potest *. Non autem priora

* Exstat apud Anthologiam Græcam Epigramma, cujus titulus Μῆνες Αἰγυπτίων, vol. iii. p. 211. *Jacobsii:* de mensibus scilicet ad annum Alexandrinum, sive Ægyptium fixum, pertinentibus, intelligendum. Horum secundus ordine Phaophi, seu Paophi, a Septembris 28 ad Octobris 28 anno communi ipsorum, a Septembris 29 ad Octobris 29 anno bissexto, pertinebat. Optimum atque uberrimum piscandi tempus huic mensi, terminis hisce Julianis circumscribendo, contribuit Epigramma supradictum.

Ἰχθυβόλοισι Πάωφι φέρει πανδήμιον ἄγρην.

Nimirum circa Septembris 24, æquinoctium auctumnale, exeunte mense Thoth, stagnatione jam peracta, in se rursus subsidere incipit Nilus; mense autem Phaophi ferme intra ripas cogitur: unde et ad viii ejusdem diem apud kalendarium Ptolemæi sementis tempus, pro Ægyptiis, notatum est. Mensis igitur Phaophi popularis, October Julianus, statum Ægyptiis piscationis tempus; uberrimum scilicet ac fertilissimum, non autem primum. De Judæa alia prorsus quæstio; apud quam Nilus nullus, qui, a mense Junio ad Octobrem usque campis redundans, et pisces alat et piscatorum operæ exercendæ obficiat. Primum piscationis exemplum, de quo Matthæus iii. Marcus i. ad Junii 4 pertinet; alterum illud, de quo Joannes

[t] xxiii. vol. ii. 292, 293.

fuerint quam festum Scenopegiæ primum exactum, quod cum Tisri 22 Octobris 11 exibat; nec quam reditus plebis, atque in primis Galilæorum, domum, quod infra tres vel quatuor minimum postea dies factus esse non potuit. Igitur aut Tisri exeunte, aut Marchesvan ineunte, atque haud scimus an ipso Tisri 28, Octobris 17, feria 1, A. D. 27, hujus sectionis atque hujus miraculi epocha rectissime constitui possit. Eadem vocationis ad Apostolatum quatuor horum, Petri atque Andreæ, Joannis et Jacobi, insignis epocha: id quod ipsi apud Dissertationes nostras, ad hanc sectionem laudatas, fusius explicavimus atque illustravimus.

§. xxv–xxviii. De sectionibus hisce, quæ secundam Harmoniæ nostræ Partem claudunt, nihil certi habemus quod statuamus, nisi forte de §. xxviii: quæ convivium Levi narrat, circa autem finem primi Dominici ministerii anni exciderit, ferme necesse est. Unde et de reliquis conjectura saltem certiores fiamus licet: ita ut Leprosi sanationem, quæ agmen ducit, mense Sebat vel Adar Judaïco, Februario Juliano, A. D. 28, factam probabiliter judicemus: secretum Domini, exinde ortum, usque ad principium Nisan ferme continuatum: circa Nisan 1, Capernaumum ipsum rursus intrasse: ubi et eodem die usque ad Levi cœnam reliqua contigisse. Quod si jejunium id temporis, tum a Joannis tum a Pharisæorum discipulis, cummaxime

xxi, ad mensem Maium. Esse tamen piscium genera, atque in primis anguillas, de quibus aptissimum ad capiendum tempus esse, Octobri fere mense, auctumnali sidere, tradit Plinius, H. N. ix. 38; qui uberrimam et ipse capturam, sole Piscium signum transeunte, tanquam paucis admodum hominum notam, alioquin prodit, ix. 35. Tempus hoc a medio Februario ad medium ferme Martium circumscribendum est; de quo tamen fides penes ipsum consistat oportet.

agebatur; statos jejunandi dies de consuetudine atque observatione Pharisæorum feriam secundam et feriam quintam potissimum fuisse traditum est [u]. Jam vero Nisan 1, Martii 16, A. D. 28, quo die hæc contigisse supponimus, feria 5 erat.

SECTIO III.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS TERTIA.

§. iii–xi.* A. D. 28, Nisan 21, Aprilis 5, feria 4 erat. Ab Hierosolymis ad Capernaumum Galilææ tridui vel quatridui justum, minimum, iter. Ita, tametsi ipso Nisan 22, Aprilis 6, feria 5, profectus ab Hierosolymis Dominus, tamen proximo sabbato, Nisan, nimirum, 24, Aprilis 8, Capernaumi apud Synagogam jam adesse non poterat: unde ad citeriorem epocham, quam sabbatum alterum illud, quod Jar 2, Aprilis 15, futurum erat, sectio hæc iii non pertinuerit necesse est.

Circuitus igitur, sectione iv institutus, vel eodem die, Jar 2, Aprilis 15, vel die proximo, (quod nos quidem verisimilius judicamus,) institutus est. Quo potissimum die postea ad finem perductus sit, ita ut sectione v narratur, ambigi potest: et num ante Pentecostes diem, an post eum. Nobis illud probabilius videtur; quia collatis inter se Marci iii. 7. 8. 10. 11, et Lucæ vi. 17–19, ab iisdem multitudinibus, atque iisdem de regionibus, tum ante ordinationem τῶν Duodecim, tum post eam, circumdatum esse Dominum constat: quod

* De sectionibus hujus Partis prima et secunda, consulendæ omnino Dissertationes nostræ apud ipsas laudatæ: ubi et de Sabbato Δευτεροπρώτῳ pro sententia nostra actum atque explanatum esse reperietur.

u Dissertationes nostræ, xviii. vol. ii. 140, nota.

factum non fuisset, si Pentecostes festum interea excidisset.

Ergo Maii 13, circa Sivan 1, feriam 1, ineuntem, sub noctem, id est, circa horam noctis tertiam, $9^h. 23'. 30''$ P. M. nostram *, in montem precationis caussa concessisse Dominum opinati simus. Facto mane, quod circa horam noctis undecimam, $4^h. 20'$ A. M. nostram, $52'$ ante solis exortum, $5^h. 12'$ A. M. nostram, hac tempestate potissimum futurum erat, Sivan scilicet 1, Maii 14, feria 1, *τοὺς Δώδεκα* ad Apostolatum ordinasse: mox, ad plebem concionem habuisse: dein, Capernaumum rursus ingressum, Centurionis puerum seu servum sanasse. Ita diebus in universum 28 confectus fuerit hic circuitus; qui mensem fere unum lunarem et solidum valent.

Postridie, Sivan nimirum 2, Maii 15, feria 2, Naïn profectum esse statuimus: quod justo diei itinere a Capernaumo distabat. Ergo non nisi sub occasu solis, id

* LATERCULUS Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro meridiano Hierosolymitano.

A solis occasu Maii 13, ad solis ortum Maii 14, A. D. 28.

				h.	′	″	
Hora i	Noctis	Maii	13	6	47	0	P. M.
ii	——	——	—	7	39	10	
iii	——	——	—	8	31	20	
iv	——	——	—	9	23	30	
v	——	——	—	10	15	40	
vi	——	——	—	11	7	50	
vii	——	Maii	14	12	0	0	A. M.
viii	——	——	—	12	52	0	
ix	——	——	—	1	44	0	
x	——	——	—	2	36	0	
xi	——	——	—	3	28	0	
xii	——	——	—	4	20	0	
Hora i	Diei	Maii	14	5	12	0	A. M.

est circa 6^h. 49′ P. M. nostram, portis civitatis adpropinquans viduæ filium, inter efferendum ibidem cummaxime offensum, ad vitam excitaverit.

Apud Naïn intervallum illud, quod inter Sivan 2, Maii 15, feriam 2, et Sivan 6, Maii 19, feriam 6, statum Pentecostes diem erat, positum ab ipso opinamur; populo interea ad festum Hierosolymis observandum dimisso: quod facillime fieri poterat. De Naïn enim ad Hierosolymam vix justum tridui iter: inter Sivan autem 2, feriam 2, et Sivan 6, feriam 6, totum quatridui intervallum.

De epochis sectionum viii–x addubitari potest. Machæruntis siquidem castellum, ubi et clausus et interfectus est, secundum Josephum [x], Joannes, tridui itinere a Naïn Galilææ distabat. Ergo ante Sivan 5, pridie Pentecostes, ad Joannem ibi agentem de miraculo recens patrato vix deferri nuntius poterat. Sed et omnino verisimile est, discipulos ejus, sicut et ceteros de plebe Judæorum, Pentecostes festum Hierosolymis observaturos. Dies posterus, Sivan nimirum 7, Maii 20, dies sabbati. Ab Hierosolymis Machæruntem usque bidui ferme iter. Ergo non ante Sivan 9, Maii 22, feriam 2, de miraculo certior fieri apud carcerem suum potuit Joannes. Postridie, Sivan videlicet 10, Maii 23, feria 3, duos illos de discipulis ad Jesum delegaverit: qui circa Sivan 12, Maii 25, feriam 5, vel Sivan 13, Maii 26, feriam 6, Jesum adhuc apud Naïn agentem conventuri fuerint.

Eodem die, sectione x, apud Pharisæum cibum sumserit Dominus. Posterus dies sabbatum. Itaque

[x] Dissertationes, xxiii. ii. 326, 327. App. Diss. x. iii. 414. 424.

feria hebdomadæ prima, Sivan 15, Maii 28, non autem maturius, circuitum universæ Galilææ secundum instituere poterat: id quod sectione xi fecisse narratur. Qui, pari atque antea ratione, ab illo ipso die usque ad Elul 30, Septembris 8, feriam 6, continuatus diebus 103 confectus fuerit. Nec messis triticeæ ratio aliquid scrupuli objecerit. Seges enim triticea circa hanc inprimis tempestatem, qua æquinoctium vernum et medium Martii 22 committi solitum erat, *communibus annis* quod dicitur, pro climate Judææ non temere quam Maii 22 tardius ad demetendum jam matura facta erat: quod circuitus hujus secundi epocham, a nobis positam, septimana ferme tota anteverterit.

§. xii–xxv. De sectionibus hisce, quod omnes intra quatridui, atque ejusdem continui, ferme spatium concludendæ sint, jam antea in Dissertationibus nostris monitum est [y]. Quatriduum autem illud non prius quam præterito Tabernaculorum sive Umbraculorum festo secundo, id est Tisri 22, Septembris 30, feria 7, initium sumsisse, ex præcedentibus patet. Et profecto etiam diebus uno et triginta, vel altero et triginta, tardius, omnium harum sectionum caput seu epocha statuenda esse videtur.

Etenim si de prima, secunda, et tertia, atque etiam quarta Parabolarum illarum, quæ nunc ipsum pronuntiatæ sunt, omnibus scilicet circa semen jactandum atque ejusmodi materiam versatis, conjectura fiat licet, (qualem illam usitatus et familiaris Domino nostro a rebus domesticis ac quotidianis, et tunc cummaxime circa se fieri obviis, doctrinam suam arcessendi mos

y Diss. xxiii. Pars iii. vol. ii. 332–340.

adprime probabilem fecerit,) sementis tempestas instabat, cum Parabolis primum docere incipiebat. Sementis autem stata pro climate Judææ tempestas, atque his cum primis temporibus, quibus æquinoctium vernum Martii 22 committi solitum erat, fere semper principium Novembris Juliani. Eadem etiam pluviis auctumnalibus, seu primis, de more stillantibus solennis erat.

Cujus etiam anni tempestatis suspicio vel maxima subnasci potest e turbine illo, qui nocte eadem super lacu Galilææ exortus est. Principium enim Novembris Juliani Πλειάδος δυομένης, id est Vergiliarum occasus, his temporibus stata fere tempestas erat: Vergiliarum autem occasus nisi turbido admodum cælo nunquam pæne fieri solitus.

His accedunt etiam lunæ rationes. Calculis nimirum subductis, pro meridiano Capernaumi Galilææ, A. D. 28, luna nova fuisse reperietur circa 10 vel 11 A. M, Novembris Juliani 5. Ergo Novembris 1, a 6 P. M, qui et Marchesvan Judaïci 26 erat, quartus tantum ante lunam novam dies; qua potissimum lunæ ætate, atque inprimis mense Octobri exeunte vel Novembri ineunte, incerta fieri tempestas solet.

Adde præterea quod Novembris 1, A. D. 28, in feriam 4, Novembris 2 in feriam 5 inciderit; id est in statum quendam apud Judæos jejunandi diem. Novembris autem 2, pro rationibus hisce, a Gadaris reversus Jesus, convivio a Matthæo exceptus est; quando cummaxime jejunium a Pharisæis de more ac consuetudine agebatur.

Quare omnino verisimile nos quidem judicamus hæc omnia, a §. scilicet xii, Marchesvan 25, Novembris 1,

feria 4, inchoata, usque ad §. xxiii, Marchesvan 26, Novembris 2, feriam 5, continuanda esse. Nec scrupuli aliquid e §. xx, et gregis porcini mentione, ipso Novembris 2 ad montem pascentis, ibidem facta, ortum fuerit. Greges quidem nullius generis tam de nocte quam inter diem apud Judæos, ultra finem mensis Octobris in agris et sub dio pasci solitos, et per se verisimillimum, et cum testimoniis ipsorum maxime consentaneum est[z]. At vero interdiu nihil impedit, quo minus etiam ultra principium Novembris idem illud usu factitatum esse credatur. De grege porcino autem isto, probabile est, ipso illo mane ab urbe vicina ad montana compulsos esse, ante quam navem exscenderet Jesus; quem noctem etiam super lacu atque apud naviculam egisse, in Dissertationibus nostris satis monstratum est[a]. Ubi et cum dæmonia ejicerentur adhuc pascebantur.

Postridie, Marchesvan scilicet 27, Novembris 3, feria 6, Nazaretham, secundum §. xxiv, profectum esse statuimus; eodem die advenisse: neque enim ultra diei unius iter a Capernaumo distabat. Proximo sabbato, Marchesvan 28, Novembris 4, apud Synagogam ejusdem docuerit. Feria prima hebdomadæ insequentis, Marchesvan 29, Novembris 5, sicut sectione xxv narratur, tertium universæ Galilææ circuitum instituerit.

§. xxvi, xxvii. Tertius universæ Galilææ circuitus, quem Marchesvan 29, Novembris 5, feria 1, A. D. 28, institutum posuimus, de exemplo superiorum duorum, circa 102 postea diem, Adar nimirum 12, Februarii 14, feriam 4, A. D. 29, ad finem spectare,

z Appendix, vol. iii. Diss. ix. 399–403.

a Diss. xxiii. Pars iii. vol. ii. 332–338.

revertente Capernaumum Domino, poterat. Hoc igitur tempore verisimillimum judicamus τῶν Δώδεκα de Capernaumo missionem, sicuti §. xxvi narratur, contigisse[b]. Qui si Adar 12, Februarii 14, feria 4 emissi, Nisan autem 2, Aprilis 4, feria etiam 4 (id quod e sequentibus ferme constat) ad Jesum rursus congregati sunt; diebus 49 vel 50, in missione sua exsequenda interea temporis ponendis, absentes fuerint necesse est. Ita circuitus illorum dimidio ferme tempore quam Domini ipsius circumscribendus est; quod et alioquin futurum, si casus ejusmodi aliquis ortus fuisset, ut ulli alii ad idem opus, quod et ipsi incumbebat, exercendum, superstite adhuc et ministerium suum, eodem in genere, exsequente cummaxime ipso, de legatione ipsius mittendi essent; omnino probabile videtur.

Circa hoc tempus, absentibus adhuc apostolis, mortem Joannis Baptistæ contigisse remur; etsi citerior epocha in commentationibus nostris de hac quæstione prioribus constituta sit[c]. Cujus sententiæ mutationis ratio brevibus reddenda.

Primum quidem, etiam loco nonnihil adtribuendum videtur, ubi, consentientibus Matthæo et Marco Evangelistis, historia mortis illius interposita exstat: quæ, si tempore suo atque ordine suo narrata est, circa hoc tempus acciderit necesse est. Deinde, rumor de Jesu ad Herodem Tetrarcham, et mortuo jam antea Joanne et absentibus etiamnum Apostolis certissime delatus, non ita diu post necem Joannis, ipso Herode teste, delatus fuerit; animus enim ejus etiam tum cum-

[b] Dissertationes, xxiii. Pars iii. vol. ii. 342, 343. Cf. Diss. iii. vol. i. 218–227.
[c] Diss. xxiii. Pars iii. vol. ii. 341. Appendix, Diss. x. vol. iii. 413–429.

maxime de scelere recens patrato, cujus sibi ipsi conscius erat, inquietus fuisse videtur. Præterea, quod et maximum, recessus ille Domini Jesu in ulteriora lacus, quem Apostolorum caussa ad se rursus congregatorum et Marcus et Lucas verbis conceptis factum testantur, Matthæus non minus distincte propter nuntium, de morte Joannis ad Jesum delatum, contigisse prodit. Unde ex utroque exortum, atque utrique acceptum ferendum esse, omnino concludendum est: et propterea utrumque circa unum atque idem tempus excidisse, et nuntium de morte Joannis ad Dominum delatum, et Apostolos ad ipsum de novo congregatos, et secessionem ultra lacum, secreti caussa institutam.

Adde quod Genesia sive natalitia illa, quæ ante necem Joannis ab Herode celebrabantur, non de die nati ipsius, sed, juxta idioma Judæorum [d], de natali imperii intellecta, circa Adar Judaïci 30, quem diem Herodis, patris ejus, emortualem fuisse jam antea monuimus [e], perpetuis fere annis de consuetudine celebranda erant. A. D. 29 autem, Adar 30 in Martii 4 feriam 1 incurrit. A patris porro morte, potius quam a confirmato ac rato habito ab Augusto testamento ejusdem (quod aliquot serius mensibus factum) natale imperii ab Herode Tetrarcha quotannis dinumeratum iri, in præsenti omnino crediderimus.

Quare, si circa Adar 30, Martii 4, feriam 1, A. D. 29, natalitia illa celebrata sunt, et quod nos quidem verisimillimum judicamus, apud urbem Galilææ metropolim, id est Tiberiadem; inde, Machæruntem usque, tridui iter. Ergo ante Martii 7, feriam 4, nondum capite privatus apud carcerem suum Joannes. A Machærunte, rumor

[d] Appendix, Diss. x. vol. iii. 425. [e] Supra. p. 184.

de morte ejus ad discipulos ipsius deferendus; qui si corpus magistri sui, secundum Ecclesiæ traditionem[f], Sebastes seu Samariæ sepulcro mandaverint, rumor ille a Machærunte Sebasten seu Samariam usque potissimum deferendus erat: quæ bidui tamen, sin minus tridui, itinere ab invicem distabant. Ergo octo ferme diebus opus, ad corpus Joannis a Machærunte usque ad Sebasten arcessendum: et, si sabbati unius in medio rationem habueris, etiam novem. Itaque si Martii 7, feria 4, capite privatus Joannes; non ante Martii 16, feriam 6, corpus ejus sepulturæ gratia ad Samariam usque delatum fuerit. Adde, de more et de observatione Judæorum, septem illos, etiam post magistri sui sepulturam, discipulorum luctus dies. Dein, dies sabbati, Martii 24: et postea, a Samaria ad Capernaumum bidui saltem iter. Ergo, non ante Martii 26 feriam 2 ad Jesum, Capernaumi agentem, de morte et de sepultura Joannis, per discipulos in primis ipsius, nuntius post hæc omnia delatus esse potuit. Itaque novem tantum diebus ante apostolorum reditum, qui Nisan 2, Aprilis 4, feria 4, contigit, delatus fuerit. Unde et profectio illa ultra lacum, secreti caussa, post reditum istum, et post nuntium istum delatum, facta, vel huic, vel illi, vel utrique, pro re nata accepta referri poterat. Ergo rumor de Jesu, post Martii 7, ante Aprilis 4, A. D. 29, ad Herodem perlatus est. Vincula autem Joannis, a Maii 16, A. D. 27, secundum rationes nostras primum dinumeranda, ad Martii 7, A. D. 29, id est per biennium fere integrum, continuanda fuerint.

§. xxviii–xxxi. De reliquis hiscè sectionibus, usque ad finem Partis nostræ Tertiæ, nihil est quod

[f] Appendix, Diss. x. vol. iii. 427.

illis addatur, quæ jam antea apud Dissertationes nostras de iisdem constituta sunt [g]. Hoc tantum monendum est, quod ad turbinem, seu tempestatem, quæ Nisan 4, Aprilis 5 et 6, super lacu facta est; novilunium verum, pro meridiano Capernaumi, ipso Nisan 1, Aprilis 2, A.D. 29, circa 8^h, P.M. nostram excidisse. Ita Aprilis 5 ab hora 6, P.M. quartum lunæ istius nychthemeron erat; quando tempestas non immerito incerta facta esse poterat: præsertim cum quatuordecim antea diebus tantum æquinoctium quoque commissum esset.

De nocte igitur illa, illunem, si quam aliam, fuisse constare debet. Ergo non lunæ auxilio, de quarta ejusdem vigilia, ambulans super mare, dignoscendus simul atque agnoscendus discipulis oblatus est Jesus.

Inde etiam hujus miraculi tempus præcise determinandum est. Quarta nimirum noctis vigilia, quæ alio nomine *matutina* audit, una cum hora noctis decima ineunte inire, una cum duodecima exeunte exire de more solita erat. Hora autem noctis decima, Aprilis 6, A.D. 29, circa $2^h. 53'$, A.M. nostram, inire, hora duodecima, circa $5^h. 46'$, A.M. cum ortu solis exire, debuerit [h]. Medium autem ejusdem vigiliæ punctum horæ undecimæ semissis erat; circa $4^h. 19'$, A.M. nostram. Pro climate autem Judææ, et circa æquinoctium vernale, horæ unius nostræ ac trientis ferme spatio, ante solis exortum, dilucescere incipit dies; crepusculo primum instante. Itaque Aprilis 6, A.D. 29, circa $4^h. 26'$, A.M. nostram, illud factum fuerit. Ergo hora undecima noctis, quartæ vigiliæ nocturnæ eadem media, circa $4^h. 26'$, A.M. nostram, Nisan Judaïci 4, Aprilis Juliani 6, dilucescente quidem jam mane, sed incerta adhuc luce, super mare ambulans

[g] Diss. xxiii. Pars iii. vol. ii. 344–351. [h] Vide Laterculum Ὡρῶν Καιρικῶν p. 180.

discipulis oblatús est Jesus. Inde et cetera pendent quæ sine mora insecuta sunt; naviculæ nimirum ad oram Genesaret adpulsus; exscensio Jesu, adhuc mane novo facienda; et progressio deinde Capernaumum usque, eodem die,(quod facillimum factu erat,) conficienda.

SECTIO IV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS QUARTA.

§. i—xv. Sectio prima Partis hujus non ante ultimum Azymorum diem, Nisan 21, Aprilis 23, feriam 2, inierit necesse est, neque etiam ante quartum postea diem, Nisan 25, Aprilis 27, feriam 6; quando primum Scribæ et Pharisæi de Hierosolymis ad Capernaumum post Pascha delati esse poterant.

A Capernaumo, ad interconfinia Tyri ac Sidonis usque, ferme tridui justum iter. Ergo si Nisan 27, Aprilis 29, feria 1, (§. ii.) Capernaumo profectus est Jesus, ad Nisan 29, Maii 1, feriam 3, in vicinitatem Sidonis jam devectus esse poterat.

Eodem die et Syrophœnissæ filiam sanaverit. De sequentibus conjici potest, circa Jar 5, Maii 6, feriam 1, (§. iii.) inde profectum. A regionibus istis ad Bethsaidam usque, alteram saltem illam, quam ad sinum lacus australem atque eumdem intimum positam apud Dissertationes nostras demonstratum est [i], per fines Decapolis circuitu instituendo, quinque dierum iter. Itaque circa Jar 10, Maii 11, feriam 6, (§. iii.) rursus ad Bethsaidam Dominus.

Idem exspectationis circa ipsum plebis dies primus:

[i] Diss. xxii. Pars. iii. vol. ii. 344–346, nota.

§. iv: Jar autem 12, Maii 13, feria 1, tertius. Igitur hoc die patratum est pascendi miraculum secundum; eodem quidem loco, duodequadraginta autem diebus posterius quam prius illud: unde et nihil ibidem herbosi jam relictum, nullius eundem ad locum viriditatis nunc cummaxime superstitis, qualis de superiore miraculo ῥητῶς proditur, mentionem factam, nemini mirari occurrerit. Omnis enim jam antea a calore absumta fuerit[k].

Eodem die, (§. v.) dimisso populo, Jesus ad Magdalam seu Dalmanutham (nam utrumque proditur) navigat. Postridie, Jar 13, Maii 14, feria 2, a Pharisæis ibidem conventus est: §. v. Jar 14, Maii 15, feria 3, (§. vi.) Bethsaidam rursus petit: ubi, eodem ipso die, (§. vii.) et cæcum quendam sanat: quæ sanatio multis nominibus memorabilis ac notatu digna est, sicut nos jam antea monuimus[l].

A Bethsaida autem ista ad Cæsaream usque Philippi bidui justum, sin minus tridui iter. Quare, si circa Jar 16, Maii 17, feriam 5, Bethsaida rursus profectus Jesus, postridie, id est Jar 17, Maii 18, feria 6, (§. viii.) jam in vicinitate Cæsareæ agere poterat. Proximus dies, Jar 18, Maii 19, feria 7, sabbatum erat: unde et quieti datum. Postridie, Jar 19, Maii 20, feria 1, rursus in itinere esse poterat; quando cummaxime et ea contigerint, quæ ad Transfigurationem, septem postea diebus futuram, prælusisse videntur: de quibus singulis apud Dissertationes nostras accurate satis disceptatum est[m]. Ita a sectione prima Partis hujus, usque ad undecimam, id est a Nisan 25, Aprilis 27, usque ad Jar 26, Maii 27, A. D. 29, et facillime simul et plenis-

[k] Vide App. Diss. ix. vol. iii. 399–402. [l] Diss. xxiii. Pars iv. vol. ii. 364 et sqq. [m] Diss. xxiii. Pars iv. vol. ii. 352–374.

sime secundum epochas suas constituta fuerint in medio omnia.

Quæ sequuntur, a sectione xii usque ad xv, apud Galilæam quidem omnia interea acta esse, ante tamen adventum festi Scenopegiæ tertii ad finem perducta, e sectione xii et xvi discimus. Quare, de exemplo ejus, quod annis superioribus ambobus factum est, intervallum hoc, tametsi secreto et quidem consulto totum datum, tamen idem temporis spatium occupasse, quod et circuitus publice institutus occupaturus erat, haud absurde conjectare licet. Ita, circiter Jar 26, Maii 27, feriam 1 inchoatum, circa Elul 30, Septembris 26, feriam 4, terminatum fuerit; diebus autem in universum 122 constiterit: ipso autem Elul 30, Septembris 26, feria 4, redeunte cummaxime ad Capernaumum Domino, atque etiam jam reverso et domi apud se agente, omnia quæ §. xiii–xv, scripta sunt, acciderint [n].

§. xvi–xx. De sectionibus hisce, quæ res circa Festum Scenopegiæ tertium gestas narrant, satis exacte a nobis jam antea tractatum est [o]. Pauca tamen recognoscenda. Ac primum de epocha, seu capite, unde omnium decursum ordiendum potissimum esse duxerimus.

Etsi, præscripto quidem Legis [p], et neomenia mensis septimi, status clangoris Tubarum dies, et decimus ejusdem dies, ἡ τῆς νηστείας ἡμέρα, atque expiationi quotannis faciendæ eadem solennis, convocatione sacra, atque uniuscujusque operis abstinentia, celebrandi erant; tamen an et Hierosolymis, atque ab universa congregatione ibidem collecta, nihil definitum exstat.

[n] Vide Diss. xxiii. Pars iv. vol. ii. 374–378. [o] Vide Diss. xxx. vol. ii. 482–499. [p] Levit. xxiii. 24. 27. xvi. 29. Num. xxix. 1–11.

Comparatis igitur Exod. xxiii. 14. 17. xxxiv. 23. et Deuteron. xvi. 16. quæ *ter* tantum in anno, et *trium* tantum festorum gentilium caussa, Azymorum scilicet, Pentecostes, atque Umbraculorum, omnes omnium ordinum mares, eosdemque adultos, Hierosolymam cogendos esse statuunt; nos quidem de neomenia Tisri, et de die τῆς νηστείας sive expiationis, nihil præterea ejusdem generis, tanquam ex Legis saltem præscripto, colligi debere censemus: alioquin, non *ter* tantum in anno, sed *quinquies* minimum, omnes Hierosolymam cogendos, ad sese coram Deo apud Templum sistendos, injunctum fuerit necesse est. Nec verborum istorum, quæ *convocationem sacram* Hebraïce sonant, ea per se vis atque intentio est, ut aliquid præterea significent, nisi concionem aut congregationem *de convocato*, seu *de publicato* habendam: quod et Hierosolymis, et aliis in urbibus pari ratione fieri poterat.

Quamobrem et de neomenia Tisri, et de decimo ejusdem die, tametsi, si quibus libuisset, utrumque Hierosolymis suo tempore agere optimo jure liceret; tamen illud usu obtinuisse crediderimus, ut apud Hierusalem quidem solenni eorum, qui adessent, ad Templum congregatione, ceteras apud urbes pari ad Synagogas frequentia, ubique et ab universis religiosa ab omni cujuscunque generis servili opere abstinentia, uterque celebratus fuerit: dies autem insuper decimus districto ab omni cibo, de mane ad serum usque vesperum, jejunio observatus.

Hæc conclusio etiam ex iis, quæ §. xvi, Partis hujus, apud Joannem Evangelistam leguntur, confirmari potest: ubi de nullo alio, nisi de festo Scenopegiæ mentio fit: nullius nisi hujus gratia Hierusalem invisendum, a fratribus admonetur Jesus: quod tamen nec cum

festo clangoris Tubarum, nec cum festo expiationis et jejunii, nisi perperam, confundi potest. Confirmatur etiam ex eo, quod, auctore Josepho, circa diem Tisri 5, A. D. 67, obtinuisse, jam antea demonstratum est[q]; a Tisri nimirum 5, usque ad 12, quo temporis spatio status etiam expiationis et jejunii dies comprehenditur, quando Phinehas a Zelotis Pontifex sorte constitutus est, non omnes quidem viginti quatuor ephemerias præsto apud Templum fuisse, sed unam illam et vicesimam primam, ad quam ipse pertinuerit. Confirmatur etiam ex traditione Doctorum seu Rabbinorum ipsorum; qui certis de caussis etiam obligationem illam ter in anno, singulis festis gentilibus, Hierosolymam adeundi, dispensationi obnoxiam fieri potuisse tradunt: ita ut semel, non ter, quotannis Hierusalem invisendo, atque uno quolibet de festis illis ibidem observando, Legis intentioni satisfactum foret.

Hæc eo faciunt, ut epocham sectionis xvi. et sequentium, non a Tisri 6, quatuor ante expiationis diem diebus, sed a Tisri 11, postridie ejusdem, arcessendam esse potius existimemus. Ita et feria 1 initium fecerint: nam Tisri 11, A. D. 29, Octobris 7, feria 1 erat.

De Capernaumo ad Hierosolymam pedibus placide euntibus quatridui iter: succinctis tridui. Igitur, Tisri 11, Octobris 7, feria 1, profecti fratres Domini, Hierosolymis facillime ad Tisri 14, Octobris 10, feriam 4, jam adesse poterant: ipso interea Capernaumi subsistente. Dies Tisri 15, etiam *extra ordinem*, semper sabbatum. Igitur non illo die profectum et ipsum arbitrati simus. Postridie autem, Tisri 16, Octobris 12, feria 6, itinere

q Prolegomena, Caput Secundum, pag. 112–115.

suscepto, etiamsi sabbatum unum interea, Tisri 17, Octobris 13, quiete transmissum esset, tamen Tisri 19, Octobris 15, feria 2 exeunte saltem, Hierosolymam delatus esse poterat.

Proximo die, Tisri nimirum 20, Octobris 16, feria 3, primum in Templo apparuisse Jesum crediderimus; quod et cum verbis Joannis, vii. 14. quibus non medius ipse festi dies, quisquis ille fuit, sed dies quidam *circa medium* indicatur, nullo labore conciliari potest: præsertim si de octo diebus illis, qui huic uni festo de more contribuendi erant, non de septem primis tantum, temporis notam istam interpretatus fueris. Ita enim et Tisri 18 et Tisri 19 pari jure medius festi dies, Tisri autem 17 et Tisri 20 dies quidam *circa* ipsum reputandus fuerit, et pro re nata alterutri superiorum proximus. Ergo et secundum has rationes, nihil necesse erit diem unum quendam, post primam apud Templum Domini Jesu in præsentia manifestationem factam, silentio prætermissum, ac secreto deditum opinemur [r]; sed constituta ad sextum festi diem, Tisri 20, Octobris 16, feriam 3, manifestationis illius, atque eadem sectionis xviii epocha, reliqua sine interruptione, ad Tisri 22, Octobris 18, feriam 5, §. xx, procedent.

§. xxi–lxi. De sectionibus hisce, quæ res in medio gestas post festum Scenopegiæ tertium, usque ad Pascha quartum complectuntur, amplus conjecturæ locus patet; etsi multa cum verisimilitudine omnium ferme epochæ deprehendi et constitui possunt.

Et primum, de §. xxi et xxii, quæ ad festum Dedicationis sive Encæniorum tertium et proximum perti-

[r] Dissertationes, xxx. vol. ii. 485–492.

nent, Dissertationes nostras [s] dum relegimus nihil quod retractandum sit nobis occurrit. Itaque circiter quintum ejusdem diem, Chisleu nimirum 29, Decembris 23, feriam 1, nunc quoque manifestationem Domini apud Templum de novo factam statuerimus: qua tempestate et hyemem fuisse a Joanne obiter notatum est. Et sane, circa Decembris Juliani 23 asperrimum hyemis pro climate Judææ fuerit necesse est: siquidem etiam a Decembris 12, undecim retro diebus, sævities ejusdem pro climate eodem (id quod et nos alibi monuimus [t]) inchoata ad Januarii usque 20 continuari solita est.

Eodem die, sin minus, postero, ad Bethabaram concessisse Dominum ponatur licet: ubi, si justum bidui iter ab Hierosolymis distabat, ad Tebeth 2, Decembris 25, feriam 3, advenisse poterat. Ibi, duodecim ferme dies, ante reditum Hierosolymam, uti ex sequentibus mox patebit, in universum commoratus fuerit: quo temporis spatio illa quoque, quæ apud Joannem, x. 40–42, de confirmata in ipsum hic loci multorum fide reperiuntur, facta esse revera potuerint.

De sectione xxiii, quæ ægrotationem, mortem, et resurrectionem unius Lazari narrat, temporum rationes maxime proclives fore opinati simus, si septem ferme diebus post Domini ad Bethabaram adventum, id est, circiter Tebeth 9, Januarii 1, feriam 3, A. D. 30, Lazarum in morbum incidisse ac decumbere cœpisse statuatur: biduo autem postea, id est, Tebeth 11, Januarii 3, feria 5, Jesum de eo nuntio sororum, circa exitum diei istius, certiorem factum esse; unde adhuc in vivis Lazarus fuerit, quando verba illa Domini de eo, apud Joannem xi. 4, pronuntiata sunt. Postridie, id est,

[s] Dissertatio xxx. vol. ii. 499–516.

[t] Supra, pag. 187.

Tebeth 12, Januarii 4, feria 6, mortuum esse Lazarum: de quo, collatis inter se Joannis xi. 17 et 39, illud constiterit, quo die mortuum, eodem et sepultum fuisse, quatriduo autem ante quam Jesus Bethaniam adventaret et mortuum et sepultum. Proximus dies, Tebeth 13, Januarii 5, feria 7, sabbatum. Ita biduum illud, quod etiam post nuntium de ægrotatione Lazari Bethabaræ acceptum, ibidem positum dicitur, a vespera feriæ hebdomadæ quintæ, ad vesperam feriæ hebdomadæ septimæ, continuatum fuerit: unde etiam et positum existimaverimus. Neque enim etsi postridie nuntii ejus, feria 6, ad revertendum profectus Jesus, mortem tamen Lazari Bethaniæ prævertere potuisset; nec tam insigne futurum miraculum erat post diem mortis unum, quam post quatriduum ejusdem patratum.

Ergo Tebeth 14, Januarii 6, feria 1, cum primum potuit, a Bethabara Bethaniam versus profectus est Dominus. Proximo die, ad occasum tamen vergente, et Bethaniæ jam adesse, et Lazarum excitare poterat. Unde dies seu epocha miraculi illius præclari, sane quam probabilis, Tebeth 15, Januarii 7, feria 2. Eodem die, sin minus, postero saltem, nuntius de eo ad Pharisæos delatus esse debuit: unde concilium ipsorum, §. xxiv, Tebeth 16, Januarii 8, feria 3, habendum fuerit; et propterea Domini Jesu ab Hierosolymis rursus, Ephraïm civitatem versus, secessio: ubi, (neque enim ultra dimidium diei unius iter ab urbe distabat,) quo die profectus est, eodem et delatus esse potuit. Secreti igitur apud Ephraïm agendi principium Tebeth 17, Januarii 9, feria 4.

Apud Ephraïm quatuordecim dies, id est a Tebeth 17, Januarii 9, feria 4, usque ad Tebeth 30, Januarii

22, feriam 3, in commoratione continua positos conjectamus[u]. Mox ipsis Sebat, mensis sacri undecimi, kalendis, Januarii 23, feria 4, tribus diebus post hiemem pro climate Judææ exactam, pridie autem baptismi Dominici in anno Juliano quotannis diei, (etsi pro lunaris Judæorum kalendarii rationibus, 27 totis ante illum ipsum diebus,) iter, Capernaumum versus, de quo sectio xxv, per Samariam institutum est. Post triduum, id est, ad Sebat 3, Januarii 25, feriam 6, Capernaumi rursus adfuerit Dominus. Proximo sabbato, Sebat 4, Januarii 26, feria 7, quiete transmisso, postridie, Sebat 5, Januarii 27, feria hebdomadæ prima, *τοὺς ο′* apostolos, mandatis ipsius prius instructos, e Capernaumo emissos supponimus; ipso interea temporis reditum eorum Capernaumi exspectaturo.

A die Sebat 4, Januarii 26, feria 7, usque ad diem Nisan 8, Martii 30, feriam 7, A. D. 30, quo die Jesus ante Pascha ultimum Bethaniam rursus vesperi delatus est, dies in medio 63, septimanæ novem solidæ erant: quæ etiam inter missionem *τῶν ο′* exsequendam, et Domini ipsius post illos circuitum instituendum et conficiendum, quocunque demum modo distribuendæ sunt. Cujus distributionis ratio ita nobis optime iniri posse videtur; si quatuor septimanæ de summa priores, id est, dies duodetriginta, missioni *τῶν ο′*, reliquæ quinque, id est, dies triginta quinque qui summam conficiunt, Domini circuitui adsignentur.

Etenim bini simul emissi *οἱ ο′*. Ergo jugis seu paribus triginta quinque. Sed et in omnem civitatem, atque in omnem locum, ubicunque etiam Jesus ipse post eos perventurus erat. Ergo in triginta quinque,

[u] Cf. Dissertationem nostram xxxi. vol. ii. 517 et sqq. et reliquas usque ad Dissertationem xxxviii. vol. iii.

minimum, sive civitates sive regiones, ab invicem distinctas, missi *οἱ ο′*. Itaque in triginta quinque sive civitates sive locos etiam post ipsos deventurus erat Jesus. Unde die moræ uno pro civitate vel regione una constituto, non nisi triginta quinque minimum diebus ipsius circuitus post illos conficiendus fuerit.

Igitur Sebat 5, Januarii 27, feria 1, profectos Capernaumo *τοὺς ο′* statuimus: Adar autem 2, Februarii 22, feria 6, §. xxvi, ad Jesum de novo ibidem collectos. Dies proximus, Adar 3, Februarii 23, feria 7, sabbatum: quo etiam die, ea quæ proxime, apud §. xxvii leguntur, et Capernaumi et apud synagogam acta, omnino contigisse opinati simus.

Ergo §. xxviii, in itinere primum Jesus, circuitu quarto atque ultimo jam suscepto: et quidem, post Adar 4, Februarii 24, feriam 1. Ita, sectiones istæ duæ, et xxviii et xxix, intra idem quatuordecim dierum spatium, nimirum ab Adar 4, Februarii 24, feria 1, usque ad Adar 18, Martii 10, feriam item 1, non sine magna verisimilitudinis specie concludendæ. Etenim sectiones xxx–xxxiii, ipsis testibus, ad unum quendam atque eumdem diem pertinent; qui etiam, ut ex §. xxxiii patet, idem ille fuerit, quo et Jesus de Galilæorum clade, nuper a Pilato Hierosolymis illata, certior factus est: de qua quidem, etsi ulterius tacet Evangelium[x], circa tamen festum Purim seu Sortium proxime accidisse nobis conjectura sane quam probabilis videtur. Festum autem Purim hoc anno cum Adar 14, Martii 6, feria 4, inibat; cum Adar 15, Martii 7, feria 5, exibat. Unde de rebus, circiter ipsum cummaxime apud Hierosolymam gestis, vix certior fieri poterat, agens in

[x] Vide Dissertationem nostram xxxv. vol. iii. 26 et sqq.

Galilæa Jesus, maturius quam Adar 18, Martii 10, feria 1: quam etiam omnium harum sectionum, a xxx ad xxxiii, nos quidem communem epocham constituimus.

Proxima sectione, sc. xxxiv, de sabbato mentio fit. Idem et §. xxxviii rursus fit. Tertium sabbatum, §. lix–lxi; quod cum ipso Nisan 8, Martii 30, secundum rationes nostras concurrerit necesse est. Ita, inter §. xxxiv et lxi, septimanæ duæ, quatuordecim minimum dies fuerint; ab Adar nimirum 24, Martii 16, ad Nisan 8, Martii 30. Quare, nisi perperam constituta sunt, quæ de epochis sectionum, a xxviii usque ad xxxiii, a nobis jam antea posita sunt, ad ipsum Adar 24, Martii 16, feriam 7, sectio xxxiv pertinuerit necesse est.

Quo posito, cetera pari ratione constituenda. Sectionem scilicet xxxv eodem quo et xxxiv die collocandam opinati fuerimus. Sequentes duas, xxxvi et xxxvii, quæ se testibus ad eumdem diem pertinent, ex Lucæ xiii. 32 et 33, apud §. xxxvii, in feriam hebdomadæ quartam, ac propterea in Adar 28, Martii 20, feriam 4, potissimum cadere, conjectura saltem deprehendi potest: illud enim, *σήμερον καὶ αὔριον καὶ τῇ ἐχομένῃ*, de triduo hebdomadis continuo, quarto, quinto, et sexto, quibus iter Domino Jesu faciendum esset, priusquam sabbato in tempus subsisteret, optimo jure intelligatur licet.

Quare, sectiones proximas, xxxviii scilicet ac xxxix, quæ ad unum atque eundem sabbati diem pertinent, nihil erit caussæ cur ad hoc ipsum sabbatum, Nisan 1, Martii 23, feriam 7, non constituamus. Unde et de §. xl, quando rursus iter faciebat Jesus, ad diem hebdomadæ primum, Nisan 2, Martii 24, pertinere eam, proclivis et facilis conjectura.

Inde, de ceteris ad xlvi usque, parum aut nihil difficultatis. Etenim, §. xlvi, e Galilæa in Peræam transmiserit Jesus: quod ad vadum Jordanis usitatissimum, e regione Scythopolis situm, Bethabaram et ipsum vocitatum, factum esse, et per se verisimillimum est, atque e sectione xlv quodammodo confirmatur; siquidem quo tempore sanatio illa leprosorum decem cummaxime fiebat, inter confinia Galilææ ac Samariæ iter faciebat Jesus: id quod unus quivis facturus erat, qui eo ipso tempore ad transitum Jordanis, in vicinitate Scythopolis positum, iter faceret. De vado Jordanis isto, ad alteram illam Bethabaram, e regione Hierichuntis sitam, iter ferme tridui. Itaque, si Nisan 7, Martii 29, feria 6, trajecto ad Bethabaram illam Jordane, per Hierichuntem iter fecerit Jesus, biduo saltem, sin minus triduo, ante, id est Nisan 5, Martii 27, feria 4, in Peræam e Galilæa transierit necesse est.

Sectiones igitur, a xl ad xlvi, omnes intra Nisan 2, Martii 24, feriam 1, et Nisan 5, Martii 27, feriam 4, circumscribendæ. Harum, a xl ad xliii, ad unum atque eundem Nisan 2, Martii 24, feriam 1, redigendas nos quidem arbitrati simus: §. xl scilicet ad principium ejus diei, ceteras ad finem, cum jam advesperasceret et jam cœnaret Jesus. Nam postridie, Nisan 3, Martii 25, feria 2, status jejunandi de observatione Pharisæorum dies futurus erat; qui tamen eo nomine, quasi et jejunium negligeret, cum publicanos ad se reciperet ac convivas etiam adhiberet, sicut §. xli narratum exstat, nullam de Domino querelam instituere.

Sectione xliv, iterum sub dio Jesus, ut ex Lucæ xvii. 6. patet; ideoque rursus in itinere: quare, non prius quam Nisan 3, Martii 25, feria 2: quam ejusdem epocham constituerimus. Ergo sectio xlv omnium

ultima fuerit, quæ ante transitum in Peræam Jordanem apud Galilæam actæ sunt; eadem ad ipsum Nisan 4, Martii 26, feriam 3, pertinere potest; quo etiam die, sub finem ipsius, et transitus Jordanis in Peræam contigerit. Quod omnino prorsus cum iis, quæ de tempore hujus transitus superius dicta sunt, convenerit. Animadvertendum porro, quod sectione xliv, Nisan 3, Martii 25, feria 2, pridie hujus transitus, apud Galilæam, inferiorem illam, adhuc agens fuerit Jesus necesse sit. Ergo et de sycaminis, quæ in Galilæa inferiore tantum reperiebantur [y], id temporis atque ibidem loci mentio fieri optimo jure potuit.

Transitu igitur in Peræam, juxta ea quæ apud §. xlvi narrantur, Nisan 4, Martii 26, feria 3, facto; ad proximum diem, Nisan 5, Martii 27, feriam 4, sectiones xlvii–xlix nos quidem constituimus. Postridie, Nisan 6, Martii 28, feria 5, sectio l circiter finem diei statuenda videtur; partim ante quam Jesus apud domum quandam, noctem ibidem acturus, deversatus esset, partim autem postquam eodem in noctem concessisset.

Sectio li crastinum diem, Nisan 7, Martii 29, feriam 6, auspicata fuerit: ita ut circa mane ipsius, id est, circa $5^{h}. 53'$, A. M. nostram, vel etiam aliquanto maturius, ante exeundum, Jesus a parvulis ad se adlatis conventus sit; deinde, §. lii, egressus jam in viam, a juvene rectore: unde et sectiones liii ac liv, quasi ore continuo traditæ, pendent.

De ceteris, a lv scilicet ad lxi, nihil difficultatis superest. Omnes siquidem ad eumdem illum diem, Nisan 7, Martii 29, feriam 6, pertinent, eo usque dum Jordane transmisso, Hierichuntem postea et ingressus

y Dissertationes, xxxi. vol. ii. 536.

et egressus Jesus, tandem in itinere Hierosolymam versus a sabbato præventus, cum jam fere horæ unius spatio a Bethania distaret, apud Zacchæum, sicut sectione lix narratur, deversatus sit.

Postridie, finito jam sabbato, statim post solis occasum, id est, circa 6^{h}. 8′ P. M. nostram, die Nisan 9, secundum Judæos, cummaxime instante, Martii Juliani 30 profectus, ante primam facem, id est crepusculo nondum exacto, quod usque ad 7h. 28′. nostram, horæ noctis secundæ tertiam fere partem, hac tempestate perventurum erat, Bethaniam delatus; eadem nocte, de consuetudine Judæorum [z], et cœna excipi poterat, et, sicuti §. lxii narratum legitur, cœna exceptus est. Inde omnia pendent, quæ postea temporis per insequentes septimanæ ejusdem dies, *magnæ* revera ac memorandæ præ omnibus Christianis universis *hebdomadæ*, sive Bethaniæ sive Hierosolymis gesta sunt: quibus tamen, quia accurate satis apud Dissertationes nostras et singillatim tractata sunt, in præsenti supersedemus [a].

Illud tantum notandum: frequentiam illam ac congregationem Judæorum ad Hierosolymam, de qua Joannes, §. lxi, jam inde a Nisan 1 vel 2, Martii 23 vel 24, feria 7 vel 1, probabiliter fieri cœptam esse: quo tempore Jesus adhuc apud Galilæam versabatur. Merito igitur inter eos, qui ad Hierusalem jam convenissent, ambigi ac disceptari poterat, num ad festum observandum adscensurus et ipse esset; quem et anni prioris festum idem Hierosolymis non observasse bene meminerant; compluribus etiam superioris temporis festis non interfuisse compertum habebant. Neque de dubitatione ista decidi poterat, donec ad Bethaniam

[z] Dissertationes nostræ, xxxviii. vol. iii. 64 et sqq.

[a] Ibid. xxxviii–xlii. vol. iii. 51–256.

tandem delatum eum esse, postridie adventus, Nisan 9, Martii 31, sin minus eadem nocte, omnes certiores facti essent.

De eo igitur quod superest Partis hujus, ab hoc usque tempore ad diem cruci adfixionis et sepulturæ Domini, Nisan 14, Aprilis 5, feriam 6, parum, seu potius nihil, nobis retractandum occurrit *.

SECTIO V.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS QUINTA.

Pro Parte quinta Harmoniæ nostræ, a sectione i, usque ad sectionem x, temporum atque epocharum constitutio satis feliciter et satis facile jam antea nobis processit [b]. Sectio xi nuntium apostolis per mulieres

* Operæ tamen pretium visum est, Laterculum Ὡρῶν Καιρικῶν, tum diei tum noctis, hic loci interponere, qui ad totum hebdomadæ hujus decursum, id est a Martii 29 usque ad Aprilis 7, media quadam ratione, citra gravis ullius erroris periculum, inservire possit.

Laterculus Ὡρῶν Καιρικῶν, mediæ rationis.

Pro meridiano Hierosolymitano.

A Martii 29, ad Aprilis 7, A. D. 30.

	h.	′	″			h.	′	″	
Diei i	5	49	0	A. M.	Noctis i	6	11	0	P. M.
ii	6	50	50		ii	7	9	10	
iii	7	52	40		iii	8	7	20	
iv	8	54	30		iv	9	5	30	
v	9	56	20		v	10	3	40	
vi	10	58	10		vi	11	1	50	
—— vii	12	0	0	P. M.	—— vii	12	0	0	A. M.
viii	1	1	50		viii	12	58	10	
ix	2	3	40		ix	1	56	20	
x	3	5	30		x	2	54	30	
xi	4	7	20		xi	3	52	40	
xii	5	9	10		xii	4	50	50	
Noctis i	6	11	0	P. M.	Diei i	5	49	0	A. M.

[b] Vide Dissertationes nostras, xliii. 257 et sqq.

illas, (de quibus sectione i Matthæus ac Marcus,) a Domino missum narrat, in Galilæam abirent, seipsum super monte quodam ibidem conspecturi; quem nos quidem eundem illum fuisse, ubi et ipsi ad Apostolatum in principio ordinati, et conciones illæ binæ, a Matthæo atque a Luca, seorsum singulæ, narratæ habitæ sunt, conjectaverimus.

Nuntius ille, pro rationibus nostris, ante Nisan 24, Aprilis 15, feriam 2, missus non est. Quatriduo postea, id est ad Nisan 28, Aprilis 19, feriam 6, omnes Capernaumum ab Hierosolymis jam reversi esse poterant. Sed, quoniam manifestatio illa, teste Divo Paulo, sicut nos quidem proximum vero judicamus, et quingentis insuper fratribus, minimum, facta sit; tempore procul dubio opus futurum erat, ita ut omnes ad eundem locum, atque eodem tempore, collecti adessent. Conjecerimus igitur, post octo vel novem reditus dies, id est, circa Jar 8, Aprilis 28, feriam 1, primum factam esse.

Inter hunc ipsum diem, et Jar 26, Maii 16, diem Adscensionis, quando apostoli omnes iterum apud Hierusalem erant, duodeviginti quod interest dies. Horum tres vel quatuor in itinere de Capernaumo in urbem ponendi. Restant quatuordecim tamen, apud Galilæam etiam post manifestationem illam, quæ sectione xii narratur, commorando agendi. De quibus nihil memoriæ proditum est præter ea quæ sectione xiii a Joanne tradita sunt: quorum epocham in medium ferme hujus intervalli diem cadere opinati simus, ita ut septimana tantum, licet integra, a manifestatione proxima distarint. Ergo, de vespere, Maii 4, Jar 15 et feria hebdomadæ prima ineunte, piscationem illam cœptam

esse et nocte proxima tota continuatam, duxerimus *: postridie autem, circiter τὴν πρωΐαν, id est horam noctis duodecimam ferme ineuntem, $4^h. 30'$ A. M. nostram, manifestatum iterum discipulis Dominum Jesum.

Postea, nuntio apostolis, ut Hierosolymam sese reciperent, per Jacobum misso, id quod sectione xiv factum supponimus; eo ipso die, id est, ut nos quidem verisimile judicaverimus, Jar 22, Maii 12, feria 1, ab Apostolis, Domino dicto obedientibus, iter ad Hierosolymam de Capernaumo capessitum est: ubi et nullo negotio, post diem quartum, Jar 25, Maii 15, feriam 4, ante vesperam adesse rursus poterant.

Postridie, Jar nimirum 26, Maii 16, feria 5, conventi ibidem a Domino ipso: mox Bethaniam usque educti: ubi, paulo postea, Adscensionis ejus in cælum oculati testes facti sunt. Cujus spectaculi, de die quidem tum mensis tum hebdomadæ, nostra saltem opinione, dubitatio nulla existere potest: nam et Jar 26 et Maii 16

* LATERCULUS Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro Meridiano Hierosolymitano.

A solis occasu Maii 4, ad solis ortum Maii 5, A. D. 30.

				h.	′	″	
Noctis i	Maii	4	Circa	6	40	0	P. M.
ii	——	—		7	33	20	
iii	——	—		8	26	40	
iv	——	—		9	20	0	
v	——	—		10	13	20	
vi	——	—		11	6	40	
vii	Maii	5		12	0	0	A. M.
viii	——	—		12	53	10	
ix	——	—		1	46	20	
x	——	—		2	39	30	
xi	——	—		3	32	40	
xii	——	—		4	25	50	
Diei i	Maii	5	Circa	5	19	0	A. M.

et feria 5 contigisse ferme certissimum esse judicamus. De tempore diei ambigi potest. Nobis credibile videtur, mane, circa solis ortum, (id est circa 5^{h}. 11′ A. M. nostram,) quo etiam tempore, teste Marco Evangelista, a mortuis ante quadraginta dies resurrexerat, aliquot saltem ante meridiem horis, factum esse.

Adscensio Domini Jesu Partem nostram quintam, simul et Harmoniæ Evangelicæ proprie dictæ contextum, claudit. De ceteris, ad Actus Apostolorum, Harmoniæ Evangelicæ in genere Partem sextam, transeundum est.

CAPUT IV.

Historiæ Evangelicæ Recensio. Pars Secunda. De Actibus Apostolorum.

DE epochis illis insignioribus, quæ ad Œconomiam Dispensationis Evangelicæ sive inchoandam, sive continuandam et consummandam, gradus quosdam et progressiones, ab invicem maxime distinctas, constituunt, abunde satis apud Dissertationes nostras disputatum est [a]. Etenim a Pentecoste A. D. 30, usque ad Pentecosten A. D. 37, per septennium primum illud, et Hierosolymis tantum, et Judæis solummodo, sive e matre regione, sive e dispersis inter gentes, (ita tamen ut quicunque illo temporis spatio, sive intra Judæam sive extra Judæam nati, fidem Christi amplexi essent, ipso facto Ecclesiæ Hierosolymitanæ consortes ac participes facti, eidem deinde accensendi essent;) Evangelii prædicatio facta est. Inde prima Actuum divisio; a capite scilicet i. et versu primo, usque ad vi. 8 continuanda: septem annorum et quinquaginta dierum intervallum complexa.

Post Pentecosten A. D. 37, persecutione a Stephano primum exorsa, dispersa est Hierosolymitana Ecclesia: unde Judæis extra Hierosolymam, tum in matre regione, tum sicubi alias ultra fines suos iidem reperi-

[a] Dissertatio xv. vol. ii. 1 et sqq. Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 117 et sqq.

endi erant; Samaritanis quoque, apud patriam suam, id est, intra Judæam; a dispersis prædicatio Evangelii uno atque eodem tempore fieri cœpta est. Mox, circa eandem anni tempestatem, Pentecosten scilicet, A. D. 41, dimidio ferme secundi septennii curriculo, initio a Cornelio Centurione sumto, tum cum Proselytis etiam de gentibus apud Judæam, tum cum Judæis e Dispersione ultra eamdem, a Græcissantibus Antiochiæ Judæis inprimis exorsa, ejusdem Evangelii communicatio instituta est; ad Pentecosten usque, A. D. 44, ex illo tempore conjunctim processura. Inde secunda Actuum divisio; a vi. 9 ad xii. 25: septennium et ipsa alterum ac justum amplexa.

Circiter Pentecosten A. D. 44, delegatis instinctu Spiritus Dei ad ministerium suum gentium Apostolis Barnaba ac Saulo; etsi a diversis ministris, et diversas apud terrarum orbis regiones, tamen idem prorsus Evangelium, iisdem prorsus conditionibus, atque eodem prorsus tempore, nulli non humanæ naturæ participi, sine gentis et loci et nominis distinctione, prædicari cœptum est: quo facto, coronis quædam et colophon Œconomiæ huic universæ nemini non impositus esse videatur oportet. Itaque superfluum futurum est, post hoc tempus, aliquid ultra distinctionis circa hanc ipsam, priusquam omnibus numeris suis absoluta et cumulata fieret, vel obitam vel obeundam, tanquam revera obtinentis agnoscere. Unde tertia Actuum divisio, atque eadem ultima; a xiii. 1 usque ad xxviii. 31: a primo nimirum Barnabæ et Sauli ad gentes circuitu, A. D. 44, usque ad conditam Actuum historiam, A. D. 61; septendecim ferme annorum intervallo circumscribenda. Jam vero ad particularium quæ dicuntur, pro singulis hisce divisionibus, considerationem et constitutionem transeamus.

SECTIO PRIMA.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS SEXTA. ACTUUM APOSTOLORUM PARS PRIMA.

De sectione prima Partis Actuum primæ, ad Harmoniæ nostræ Partem Quintam, sectiones xv–xvii, dictum est. Dies ille, Jar Judaïci 26, Maii Juliani 16, feria 5, Adscensione jam peracta, reversis de monte Oliveti ad Hierosolymam apostolis, clausus esse traditur. De sectione secunda, quæ Matthiæ in Apostolatum, loco Judæ proditoris, suffectionem narrat, tametsi vel eodem die, vel postridie, suffectio illa fieri poterat, tamen verisimillimum nobis videtur, die potius perendino, Jar nimirum 29, Maii 19, feria 1 factam esse. Ita, et eodem hebdomadæ die, quo et ordinatio τῶν Δώδεκα ad idem ministerium a principio, et justis septem ante diem Pentecostes proximum, et futuram id temporis Spiritus Sancti descensionem, diebus facta fuerit.

De sectione iii, quæ diei illius adventum, et Spiritus Sancti effusionem illam narrat; ad Sivan Judaïci 6, Pentecostes statum diem, pertinere eam pro certo reputandum est; in Maii autem 26, feriam 1, A. D. 30, cadere, ferme ex æquo constare potest: unde et de ipso diei tempore, quo cummaxime gesta hæc fuerint, probabili sane conjectura certiores fiamus licet. Patet enim ex Petri ad plebem verbis, horam tertiam jam confectam, quartam nondum adfectam esse, quando oratio illa ad ipsos haberi cœpta est: ante quam tamen et Spiritus descensus factus, et linguarum mirabile donum datum, et rumor de eo per urbem sparsus, et collecti ex eodem ad Apostolos omnis generis spectatores vel auditores fuerint, necesse est. Quæ omnia nisi horarum duarum vel trium spatio jam acta esse

vix potuerint. Itaque, circiter ipsum πρωΐ, id est solis exorti, seu potius cummaxime exorientis, tempus, quod justum diei naturalis atque ejusdem apud Judæos civilis principium erat, (ante quod etiam ipsum Pentecostes mane, etsi in eo versans ut jamjam conficiendum esset, tamen nondum confectum esse dici poterat,) contigisse hujus in primis diei miraculum statuerimus; id est, Maii Juliani 26, atque A. D. 30, pro climate Judææ et pro meridiano Hierosolymitano, secundum temporis apparentis rationes, hora $5^h. 5'. 0$ matutina nostra *. Deinde cetera, quæ insecuta sunt, usque ad Petri concionem ad multitudines jam antea collectas habendam; quæ, hora diei tertia se teste habita, sub ipsam $8^h. 32'$ A. M. nostram, (quo temporis articulo hora diei quarta jam inire tantum cœperit, hora autem tertia jam plene confecta fuerit,) habita sit necesse est.

Quod ad reliquas Partis hujus, a iv ad xi, sectiones; de annis tantum particulariter quidquam constitui potest. Et de sectionibus quidem hisce, a iv usque ad x, intra biennium a die Pentecostes principali, id est ab A. D. 30 usque ad A. D. 32, restringendas eas esse; reliquum autem temporis ab A. D. 32 usque ad A. D. 37, ex consilio forsitan a Gamaliele dato, sicut sectione x

* Laterculus Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro Meridiano Hierosolymitano.

A Solis ortu, ad Solis occasum, Maii 26, A. D. 30.

		h.	′	″				h.	′	″	
Hora Diei i	Maii 26	5	5	0	A.M.	Hora vii	Maii 26	12	0	0	P.M.
— — ii	—	6	14	10	—	— viii	—	1	9	10	—
— — iii	—	7	23	20	—	— ix	—	2	18	20	—
— — iv	—	8	32	30	—	— x	—	3	27	30	—
— — v	—	9	41	40	—	— xi	—	4	36	40	—
— — vi	—	10	50	50	—	— xii	—	5	45	50	—

Hora i Noctis Maii 26, $6^h. 55'$. P. M.

narratur, inter sectiones x et xi quodammodo distribuendum ac partiendum esse, jam antea in Dissertationibus nostris monitum est [b].

De biennio tamen hoc, et de sectionibus eodem pertinentibus, cum et sectione iv et sectione vii et sectione ix communis fere generis, vicibus autem ter repetitis, de victus ac vitæ conversorum ad fidem Hierosolymis degentium inter se ratione, de distractione fundorum a dominis facta, et collatis in usum Ecclesiæ eorundem pretiis, de testimonio doctrinæ suæ ab Apostolis per miracula reddito, mentio fiat; suspicio exinde, ut nobis videtur, oriri potest, triplicem hanc rei ejusdem vel plane consimilis tribus locis mentionem, ad tres annos, atque eosdem continuos, ineuntes pertinere. Et de sectione quidem iv, ubi primum hujusmodi commemorationis exemplum reperitur, ad annum septennii hujus primi primum, atque eundem affectum sive inchoatum tantum, spectare, etiam sponte patet. Unde idem et de §. vii, et de §. ix, conjectetur saltem licet; illam de A. D. 31, a Pentecostes stato die, id est, Maii 15 feria 5, hanc autem de A. D. 32, ab eodem die, Junii nimirum 3 feria 5, ordiendo ac recensendo, intelligi debere.

Ergo de §. v, post Sivan quidem 6, Maii 26, statum Pentecostes diem, A. D. 30, excidisse illam, constare potest: priorem tamen quam proximum Scenopegiæ festum, Tisri 15 Septembris 30, fuisse, omnino verisimile est. Ulterius de ea nihil constitui potest; nisi quod et circa horam diei nonam, (alterum illud, e statis precandi atque eam ob caussam Templum adeundi temporibus, idem etiam jugi sacrificio vespertino solenne,)

[b] Diss. xv. vol. ii. 24–26.

et feria hebdomadæ quadam, a sexta saltem diversa, contigerint hæc, quæ nunc ipsum narrantur, necesse sit: sin minus et ineunte cummaxime sabbato, vespere ejusdem diei, in carcerem conclusi Petrus ac Joannes, et postridie, sabbato ipso, una cum sanato ab ipsis claudo, coram concilio et constituti et examinati fuerint. Probabile nobis videtur, et feria prima, et mense adhuc Sivan, miraculum illud sanationis, (primum ab Apostolis factum, de quo particulariter aliquid dictum,) contigisse. Unde aut Sivan 13 Junii 2, aut Sivan 20 Junii 9, aut Sivan 27 Junii 16, omnibus A. D. 30 in feriam etiam hebdomadæ primam incidentibus, pro re nata constitui posset: quibus etiam tempestatibus, singulis ferme, hora diei nona, neque ante $3^h. 27'$ P. M. neque post $3^h. 33'$ P. M. nostram, de more confecta atque absoluta esset.

De sectione x, quam ad A. D. 32 pertinere in genere jam antea monuimus, conjectura saltem probabili ad ipsum Pentecostes diem, Sivan 6, Junii 3, feriam 5, constituere eam licet. Patet enim, ex ipsius de se testimonio, sub finem diei cujusdam in custodiam publicam traditos esse Apostolos; nocte insequenti ab angelo liberatos; postridie, mane, a concilio, liberationis hujus adhuc ignaris, coram se arcessitos. Quæ omnia cum rationibus nostris ad amussim plane congruerint, si exeunte Sivan 6 et feria 5, ineunte Sivan 7 et feria 6, Junii autem 3, traditi in custodiam Apostoli, nocte eadem liberati, die postero, Sivan 7, Junii 4, feria 6, coram concilio arcessiti ac constituti esse ponantur; quando et consilium a Gamaliele datum sit, quod quinque annorum ab illo usque tempore etiam Evangelio apud Hierosolymam prædicando otium peperit. Ita quies illa ab usque postridie Pentecostes, Sivan 7, Junii 4, feria 6, A. D. 32, inchoanda, ad usque postridie Pentecostes,

Sivan 7, Maii 10, feriam 1, ut mox videbitur, A. D. 37, continuanda fuerit. Cujus etiam, nobis judicibus, indicium illud vel maximum fuerit, quod residuum Partis hujus, et septennii a die Pentecostes ac Spiritus Sancti effusione primi, quæ Christianitatis proprie dictæ inchoatæ epocha est, temporis quidem ratione longissimum, rerum gestarum autem, de quibus scripti aliquid proditum est, paucitatis brevissimum sit. Idem nimirum quod et alias in re eadem simili prorsus ratione usu obtinuisse videtur; periodos scilicet illas, et temporum a natalibus Christianitatis circumscriptiones, de quibus maxime silet Evangelium, maxime quietas etiam fuisse, maxime quoque easdem ad Evangelii ipsius propagationem efficaces.

De sectione xi, quæ Partem hanc primam claudit, verisimile nobis videtur, Diaconorum ordinationem illam, A. D. 37, circa Pascha contigisse; cujus eo anno ultimus dies Nisan 21, Martii 26, feria 5. Unde etiam circiter Nisan 24, Martii 29, feriam 1, Diaconos hosce principes ordinatos esse conjectura saltem opinemur licet. Aliquantum autem temporis ante Pentecosten ordinatos fuisse res ipsa postulare videtur. Jam vero, ab hoc die, ad Sivan 6, Pentecostes statum tempus, Maii 9, feriam 7, dies 41: quibus Stephanus cumprimis, Diaconorum princeps, initio ab ordinatione sui ipsius sumto, signis ac prodigiis interea faciendis, ad plebem inclarescere et debuerit et potuerit.

SECTIO II.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS SEXTA. ACTUUM APOSTOLORUM PARS SECUNDA.

Libertinorum et ceterorum illa, quæ postmodum insecuta est, in Stephanum consurrectio, ante Pentecosten, A. D. 37, facillime facta esse potuit: nam et hi, et

reliqui e Dispersione, si quibus festum hoc apud Hierosolymam suo tempore observare in animo erat, aliquantum ante statum ejusdem diem ad urbem delati, atque ibidem congregati sint, necesse est. Quod horum autem, et contributorum ipsis, synagoga, neque alia ulla de ccccIxxx synagogis illis, quæ nunc ipsum Hierosolymis una exstitisse traduntur, in Stephanum potissimum coorta sit; exinde factum fuerit, quod de suo ipsorum cœtu ante conversionem suam et Stephanus: cujus nomen e Dispersione unum quendam, etsi Judæum, non autem e matre regione indigenam, Hebræum ex Hebræis, prodit.

Dies Pentecostes, A. D. 37, Maii 9, feria 7. Ergo non hoc præ ceteris correptus ab his ipsis, et coram concilio, falsis testibus opprimendus, constitutus Stephanus. At postridie, Sivan 7, Maii 10, feria 1, nihil impedit. Eodem die et examinatus et lapidatus Protomartyr ille. Eodem die et reliquæ apud Hierosolymam Ecclesiæ persecutio instituta. Eodem igitur die dispersi ab Hierosolymis, atque in Judæam et Samariam palantes effusi, præter Apostolos, universi. Ita ad unam atque eandem epocham hæc omnia reciderint: et finis Evangelii Judæis tantum, atque Hierosolymis tantum, prædicandi factus, et protomartyrium Christianum, sanguine Stephani consignatum, et persecutio Ecclesiæ, pro Ecclesiæ magnitudine quæ tunc erat, universalis, et prædicationis extra Hierusalem tum Samaritanis, (dumtaxat apud patriam suam,) tum Judæis, (dumtaxat e matre regione,) extra patriam suam, a natalibus Christianitatis integris septem ac solidis, sive pro Judaïca sive pro Juliana computandi ratione, annis jam elapsis, initium factum.

De sectionibus, a iii usque ad v, quæ res in medio

gestas a persecutionis initio usque ad eunuchi Æthiopis conversionem narrant; primis curis nostris paulo post Pentecosten omnes constituendæ visæ sunt; secundis hisce commentationibus sententia illa omnino retractanda videtur: omnes enim tametsi a Pentecoste quidem exorsas, tamen ad festum Scenopegiæ proximum, atque etiam ulterius producendas esse, multo probabilius in præsentia judicamus.

Etenim Sauli conversio, et sectio vi, quæ de ea agit, pro traditione Ecclesiæ illa, de cujus fide ac veritate multa a nobis apud Dissertationes nostras disputata sunt [c], infra sex menses, a Pentecoste usque dinumerandos, cadere nequit: eadem autem illa res, et §. iv et §. v narratas, haud ita longe insecuta fuerit, ut, si ipsa intra festum Scenopegiæ proximum consistere nequeat, idem et de illis quoque non sentiendum ac statuendum sit.

Apparet etiam, e sectione iii, aliquantum temporis prædicatum esse a Philippo apud civitatem Samariæ, quæquæ illa fuerit, ubi et ipse agebat, Evangelium, prius quam Apostoli Hierosolymis agentes de recepta a Samaritanis fide certiores facti sunt: patet etiam, ex §. iv et v, et a Petro ac Joanne Apostolis, et a Philippo Evangelista, aliquantum diutius idem Evangelium et iisdem et eodem in loco prædicatum, ante quam ipsi in urbem reditum adornarint, Philippus autem Gazam versus iter instituerit.

Quare (quod maximum est) nimium sane quantum, post festum Pentecostes proximum, conveniendus esset ad Gazam, post hæc omnia, a Philippo Eunuchus ille; quam ut, de festo illo Hierosolymis observando in patriam suam tunc cummaxime redux, ibidem a

c Diss. xv. vol. ii. 20 et sqq.

Philippo offensus fuisset. Qui tamen, si post Pentecosten neque redux neque ad Gazam offensus; post festum utique proxime futurum, id est post Scenopegiam, et redux et ibidem a Philippo conventus fuerit, necesse est. Unde et pericope illa, de prophetia Isaiæ sumta, quam et ipse cummaxime legebat, in ordine tunc cummaxime fuisse potuit: quippe de lectionibus sive Hapthtoroth una [d], quæ post festum Umbraculorum, vel circa eam tempestatem, de consuetudine legi solebant.

De civitate seu urbe Samariæ, ad quam Philippus, §. iii, delatus esse dicitur, silent Actus; nisi quod ipsam Samariæ metropolim, Samariam superioris, Sebasten inferioris ævi, (a temporibus saltem Herodis Magni,) non fuisse, ex viii. 5 colligi potest. Fines tamen Samariæ quaquaversus diei fere unius itinere, minimum, ab Hierosolymis distabant. Unde proclivis conjectura, bidui saltem itinere civitatem illam, quæcunque fuerit, a metropoli utique Judææ remotam. Complures etiam Samaritanorum vicos, inter eandem et confinia Judææ, Hierosolymam versus iter facientibus, in medio sitos, ex viii. 25 patet. Bidui autem itinere ab Hierosolymis ubiubi apud Samariam agens Philippus, quatridui saltem a Gaza ibidem remotus fuisset, necesse erat.

Jam vero de Hierosolymis ad Gazam usque, pedibus euntibus, iter ferme tridui. Quamobrem circa Tisri 23, Septembris 21, feriam 2, profectus ab urbe Eunuchus, circiter Tisri 25, Septembris 23, feriam 4, sub exitum utique diei, in vicinitate Gazæ jam agere poterat: quem tametsi ipsum curru invectum, tamen et comi-

[d] Vide Diss. xxiii. Part. ii. vol. ii. 270.

tatum et pedissequos circum se habuisse, quorum rationem, in itinerum diurnorum mensuris, habendam esse, verisimillimum est; quem etiam hoc ipso tempore, cummaxime a Philippo conventus est, citius iter equitando non fecisse, quam quod pedibus aliquis adsequi et comitari posset, ex viii. 29 et 30 patet.

Pari ratione, de itinere Gazam versus instituendo, ultimo Scenopegiæ die, Tisri 22, Septembris 20, feria 1, dum adhuc apud Samariam ageret, admonitus ab angelo Philippus; quarto postea die, eodem, quo et Eunuchus, iter faciens, ad idem loci, in vicinitatem scilicet Gazæ, delatus esse potuit. Ergo, circiter Tisri 25, Septembris 23, feriam 4, in vicinia Gazæ offensus ac conventus ab ipso Eunuchus. Unde et eodem illo die baptizatus; et Philippo Azotum sublato, porro in Ægyptum profectus.

De Gaza ad Azotum usque fere diei unius succincto justum iter. Unde conjici potest, sub finem diei baptizatum a Philippo Eunuchum: quem Spiritus Dei, post œconomiam illam extra ordinem jam completam, eo statim contulerit, ubi pedibus ipsi suis eunti diei itinere perveniendum fuisset. Itaque Azoti Philippus, ad Tisri 25, Septembris 23, feriam 4 exeuntem. Inde Cæsaream usque, solidum tridui iter. Quo tamen non continuo delatus; siquidem omnibus in medio positis urbibus evangelizatus est.

Hujus igitur sectionis chronologiam eum in modum ordinandam et constituendam opinati simus, ut nonnihil ante Tisri 15, id est Septembris 13, feriam 1, reversos ad Hierosolymam, de Samaria, Petrum ac Joannem, eo nimirum consilio, ut festum illud apud urbem observandum præverterent, statuerimus; cetera

autem insecuta esse, quemadmodum jam antea ad rationes supra positas exacta sunt.

De sectione vi, quæ mirabilem illam Sauli persecutoris conversionem narrat; ante sextum mensem post Sivan 7, Maii 10, feriam 1, A. D. 37, constare non posse, sæpius jam antea dictum est. Mensis autem sextus ille, juxta computandi rationem in istiusmodi rebus Judæis familiarem, (quam nos quidem in omnibus hujus generis epochis unice sequendam arbitramur,) ante Chisleu 7, Novembris 3, feriam 3, terminatus non fuerit. De Hierosolymis, ad Damascum usque Syriæ, septem dierum et dimidii ferme justum iter; et si sabbati unius rationem habueris, octo et dimidii. Constat autem adpropinquanti jam ad Damascum Saulo, et circa meridiem diei, lumen illud de cælo circumfusum. Itaque dimidio illo diei, atque itineris eodem diurni ultimo, pæne jam confecto: quod si cum Chisleu 7, A. D. 37, concurrerit, in Novembris 3 ac feriam 3, inciderit, necesse est.

Ergo si Chisleu 7, Novembris 3, feria 3, circiter meridiem, Damasco subibat Saulus, nono antea die, Marchesvan 29, Octobris 26, feria 2, ab Hierosolymis eodem profectus fuerit. Quare et pridie, Marchesvan scilicet 28, Octobris 25, feria 1, litteras etiam illas, quibus instructo proficiscendum erat, a Pontifice Judæo petierit. Quæ omnia mirum in modum inter se cohærere, neque tamen a verisimilitudinis rationibus ne tantillum quidem abhorrere, omnis quilibet confiteatur oportet.

Ergo triduum illud cæcitatis continuæ, quo durante neque manducaverit neque biberit, a meridie usque, Chisleu 7, Novembris 3, feria 3, usque sub meridiem,

Chisleu 10, Novembris 6, feria 6, quando missus ad eum Ananias est, pertinuerit necesse est. Itaque illo primum die, et sub idem illud diei tempus, saltem post solis ortum, et visum recuperaverit, et baptizatus fuerit, et cibum sumserit. Quo facto, cum, ipso ad Galatas teste, in Arabiam, quæ Damasco prorsus confinis erat, sine mora concesserit; aut illo ipso die, aut die saltem perendino postea, Chisleu 12, Novembris 8, feria 1, eodem se receperit. De quibus omnibus §. nostra vii.

Secretum illud Arabicum Evangelii mysteriis de revelatione Domini perdiscendis ac ruminandis deditum, ex eodem ad Galatas testimonio colligi potest. Quod ad longitudinem ejus spectat; verisimile nobis videtur, circiter Chisleu 12, Novembris 8, feriam 1, A. D. 37, cœptum, circa Veadar 27, Martii 21, feriam 1, A. D. 38, reverso Damascum Saulo, terminatum esse: unde et diebus cxxxiii, mensibus Judaïcis fere quinque, omnino constiterit. Etenim cum apud §. viii, cap. ix. 19, dies quosdam a Saulo post baptismum quidem, ante prædicandi autem initium faciendum, apud discipulos Damasci positos esse, dictum sit; hoc nobis innuere videtur, etiam post reditum ex Arabia ad Damascum, intervallum quoddam, utique ad Pascha proximum usque, (unde potissimum et annos ministerii sui Evangelici in genere postea dinumerare ac recensere ipsi moris est,) apud discipulos Damasci actum esse; quod a die Veadar supradicto, usque ad Nisan 14, Aprilis 7, statum Paschatis tempus, pertinuisse arbitrati simus.

Ab hoc usque tempore prædicandi initio a Saulo apud synagogas Damasci facto, idem opus ab eodem per tres postea annos, usque ad A. D. 41, sine intermissione ibidem quoque continuatum est. Interea temporis et Damascus in ditionem Aretæ reguli Arabum venerit; (de quo con-

sulendæ omnino Dissertationes nostræ [e];) et Judæorum insidiis obnoxius factus sit Saulus. Tandem a discipulis per murum noctu dimissus; eo consilio, uti e sequentibus colligatur licet, ut Hierosolymam quam primum se reciperet. A Damasco ad Hierusalem, sabbati unius, sicut antea, ratione habita, octo dierum et dimidii iter. Ergo, si Nisan 3, Martii 24, feria 1, post tres annos, noctu e Damasco emissus est Saulus, ad Nisan 11, Aprilis 1, feriam 2, Hierosolymam jam delatus esse potuit.

De mora apud Hierosolymam nunc ipsum tracta, e §. ix atque ex ipsius ad Galatas testimonio, conjectura fieri potest. Etenim non statim post adventum in urbem, ad Apostolos a Barnaba deductum esse Saulum, ex §. ix patet. Testatur autem de se ipse, ad Galatas i. 18, quindecim postea dies, etsi quindecim tantum, sese apud Petrum fuisse. Ubi illud *quindecim* innuere nobis videtur, die sabbati apud Petrum esse cœpisse eum, die autem hebdomadæ primo, post quindecim totos dies, rursus emissum. Quod ad amussim cum rationibus nostris quadrârit, si Nisan 11, Aprilis 1, feria 2, Hierosolymam delatus, Nisan 16, Aprilis 6, feria 7, a Barnaba ad Apostolos deductus, Jar autem 2, Aprilis 21, feria 1, post quindecim dies, grassantibus cummaxime in ipsum Græcissantium Judæorum insidiis, Cæsaream deductus et Tarsum dimissus constitutus sit. Ceterum de revelationibus Pauli nunc ipsum habitis, atque in primis de illa, cujus ad Corinthios secunda, xii. 2, quatuordecim postea annis mentionem facit, apud Dissertationes nostras dictum est [f].

De requie illa Ecclesiarum, cujus sectione x mentio

[e] Diss. xv. vol. ii. 40–45.

[f] Appendix, Diss. xix. vol. iv. 168.

occurrit, consulendæ omnino Dissertationes nostræ[g]; ubi et de caussis, quibus accepta referenda sit, (numine Divino id consulto agente, ut quod publici et communis reliquis Judæorum metus, idem fidelibus seu Christianis inter eos agentibus securitatis et tranquillitatis initium foret,) et de tempore quo exciderit, accurate prorsus a nobis disceptatum est. Vesanum nimirum illud, sed destinatum admodum Caii Cæsaris, de statua sibi apud Templum erigenda, consilium, jam inde a veris initio, A. D. 40, agitari Romæ cœptum, ab illo usque tempore ad veris initium, A. D. 41, quando mors ejus, (quæ Januarii 24 antea contigerat,) apud Judæam primum innotuit; summo opere sollicitam atque inquietam per annum fere solidum Judæorum civitatem tenuit: unde, etiam ab æstate usque A. D. 40, sin minus a vere, anxiis de se ipsis etiam tum Judæis, cessatum esse a persecutione Ecclesiarum Christianarum omnino verisimile. Ab eodem igitur tempore et quietis illius, de qua §. x, initium retro petendum est. Ex quo autem in rerum singularum narrationem descenditur, quarum prima Æneæ apud Lyddam a Petro sanatio, §. x, et postmodum Dorcadis Joppæ ab eodem mortuæ excitatio, §. xi, (utpote omnia profectione Sauli saltem ab Hierosolymis posteriora,) citius quam Aprili exeunte, vel Maio ineunte, nihil ejusmodi fieri potuisse, probabiliter statuendum videtur.

De sectione xii, quæ Cornelii Centurionis conversionem narrat, vel ex ipsa rei factæ natura, nobis quidem judicibus, credibile prorsus fuerit, circa festum Pentecostes, hujus anni, id est, Sivan 6, Maii 25, feriam 7, contigisse. Itaque rerum propterea gerendarum seriem ac consequentiam secundum hanc hypothesim unice adornandam esse censemus.

[g] Diss. vi. vol. i. 295–301. 306–308.

Ipso scilicet Pentecostes die, Sivan 6, Maii 25, feria 7, A. D. 41, circiter horam nonam καιρικὴν, 3^h. 27′. P. M. nostram, precationis in Templo statum tempus, et jugi sacrificio peragendo idem de more contributum; angeli visionem Cornelio Cæsareæ agenti oblatam esse: ante quam, sicut ex verbis ipsius, x. 30, postea patet, usque ad illam ipsam horam jejunio intentus fuerat. Quod nemo rationibus nostris, quasi die sabbati cumprimis factum, vitio verterit oportet: in Dissertationibus enim nostris [h], et sabbatum ipsum, circa hanc ætatem, a Judæis atque ab eorum proselytis, quidquid contra recentiorum Judæorum traditiones statuant, jejuniis dedi solitum esse, satis demonstratum est. Quam angeli visionem, etsi hora nona diei oblatam, tamen non nimis sero factam fuisse, quin eodem etiam die nuntii Cornelii de Cæsarea ad Joppam proficisci potuissent, nisi sabbati religio impedimento exstitisset, nobis saltem quam probabile videtur.

Ergo postridie primum, Sivan 7, Maii 26, feria 1, mittendi. A Cæsarea, ad Joppam usque, iter diei unius et dimidii, atque aliquantum amplius. Itaque, Sivan 8, Maii 27, feria 2, circiter meridiem, id est horam sextam καιρικὴν, duodecimam P. M. nostram, Joppæ jam adpropinquare iidem nuntii debuerint: quo temporis articulo et visio illa lintei de cælo Petro oblata est.

Nocte una apud Petrum Joppæ Cornelii nuntii. Postridie, Sivan scilicet 9, Maii 28, feria 3, ipse, et sex alii quidam de fratribus Joppensibus, una cum iisdem Cæsaream profecti. Sivan 10, Maii 29, feria 4, pari atque antea ratione, aliquanto post meridiem, eodem ad Cornelium jam delati: id quod ipse post diem quar-

[h] xxxviii. vol. iii. 64–68.

tum manifestationis angeli, Maii 25 factæ, verissime dicit; præterea etiam post horam sextam, ante tamen nonam, id est, inter $12^h. 0'$. et $3^h. 27'$. P. M. nostram, idem excidisse notat: hoc enim ipso tempore Petri ad Cæsaream adventum contigisse, e contextu patet.

Ergo circa idem tempus effusi in ipsos Spiritus Sancti miraculum patratum; et mox per baptismum in sinum Ecclesiæ eorundem receptio facta est. Postea, remoratus aliquantum temporis Cæsareæ Petrus: de quo incertum. Probabile nobis videtur, mense Junio tantum, vel etiam serius, Hierosolymam reversum eum esse, sicut §. xiii scriptum exstat: ubi et, statim post adventum, rerum tum Joppæ tum Cæsareæ recens gestarum ex ordine rationem reddiderit necesse est. E cujus oratione, xi. 4–17, versus 15 et 16 in primis notandi; quibus admonitum se ab iis, quæ tunc fiebant, duorum testatur, diu quidem antea factorum, sed consimilis plane naturæ cum iis quæ tunc cummaxime agebantur: unius, effusi in se, atque in ceteros qui aderant, principio Spiritus, quod undecim antea annis, atque intra tres vel quatuor dies, eodem etiam die, contigerat; scilicet, Sivan 6, Maii 26, feria 1, A. D. 30, in principio, Sivan autem 10, Maii 29, feria 4, quo anno hæc acta, A. D. nimirum 41: alterius, promissi Domini, de Baptismo per Spiritum sine aqua faciendo, undecim antea annis et diebus insuper tredecim vel quatuordecim, Jar nimirum 26, Maii 16, feria 5, A. D. 30, cum respectu ad hoc ipsum, quod tunc Cæsareæ fiebat, etiam Petro teste, dati.

De sectione xiv; res a protomartyrio illo, Stephaniano scilicet, a Maii 10, A. D. 30, ac deinceps gestas, usque ad initium Judæis Græcissantibus evangelizandi apud Antiochiam factum, per recapitulationem continet: quod nobis quidem omnino probabile videtur, illo ipso

tempore Antiochiæ fieri cœpisse, quo Cornelii conversio apud Judæam cummaxime fiebat. Itaque non dubitavimus ad ipsum Pentecostes posterum diem, Sivan 7, Maii 26, feriam 1, A. D. 41, prædicationis ejus initium constituere. Unde et hujus in Evangelio propagando, insignis sane, profectus eadem ferme epocha, quæ et Evangelii in principio Judæis apud matrem regionem prædicandi fuerat: Sivan nimirum 7, Maii 26, feria 1, A. D. 41, quæ Sivan 6, Maii 26, feria 1, A. D. 30.

De sectione xv; probabile judicamus, mense Junio exeunte vel Julio ineunte audita hæc Hierosolymis; unde et Barnabas Antiochiam ab urbe missus. Mox Saulus a Barnaba de Tarso Antiochiam arcessendus. Tarsus autem ab Antiochia septem dierum itinere pedibus eunti distabat. Ergo dimidio fere mensis opus ad Saulum exinde Antiochiam usque perducendum. Annum autem illum justum seu plenum, de quo xi. 26. ut postea Antiochiæ ab utroque posito, quoniam a kalendis anni sacri, sive Nisan 1, procedere nequit, a kalendis illis alteris, Tisri 1, potissimum dinumerandum esse duxerimus. Itaque, circiter Elul 10, Augusti 25, feriam 1, egressus ex Antiochia Barnabas, circa Elul 29, Septembris 13, feriam 6, eodem una cum Saulo a Tarso reversus esse potuit. Unde et 19 diebus absens fuerit.

De sectione xvi; non prius quam finito anno illo, de quo sectio proxima, fames ab Agabo prædicta fuisse videtur; id est, non ante Tisri 1, Septembris 4, feriam 5, A. D. 42; nisi si quis post Umbraculorum festum Agabum ab Hierosolymis Antiochiam descendisse verisimilius duxerit: Scenopegia autem, A. D. 42, cum Tisri 22, Septembris 25, feria 5, exibat. De Hierosolymis Antiochiam usque dierum 17 et dimidii iter: ac si

binorum vel trium in medio sabbatorum rationem habueris, etiam viginti ferme. Ita, circiter Tisri 23, Septembris 26, feriam 6 profectus, circa Marchesvan 14, Octobris 16, feriam 5, Antiochiæ jam adesse poterat. Mox famis futuræ prædictio; de qua accurate prorsus, apud Dissertationes nostras[i]: ubi et permulta notatu digna sunt, ac præ ceteris, anni sabbatici post eandem insecuturi casus. Inde pecuniarum collatio apud Antiochiam instituenda; et mox collatas Hierosolymam usque mittendi necessitas: quod ita excidisse crediderimus, ut ante Pascha, A. D. 43, Hierosolymam delatæ sint. Itaque circiter Veadar 23, Martii 22, feriam 1, A. D. 43, profecti ab Antiochia Barnabas et Saulus, intra viginti postea dies, circa Nisan 12, Aprilis 10, feriam 6, Hierosolymam jam pervenisse poterant.

De sectione xvii; grassationem illam Herodis Agrippæ in Ecclesiam, nunc ipsum factam, circa principium Nisan, Martii 30, A. D. 43, cœptam remur: quando et Jacobus, Zebedæi filius ac Joannis frater, gladio occisus. Mox et Petrum adprehensum, instantibus Azymis, atque ipso forsan Nisan 14, Aprilis 12, feria 1: quem ad noctem usque, quæ ultimum hujus festi diem claudebat, Aprilis 19, Nisan 22 feriam 2 ineuntem, apud carcerem Deus retineri passus est, quo et fidelium in orando perseverantia manifestior, et Judæorum exspectationis ludibrium insignius fieret; utrumque de uno atque eodem Petro, cum perseverantia illa in orando fidelium, tum exspectatio illa Judæorum, interea temporis exercendum.

Ea ipsa nocte, Nisan 22, Aprilis 19 vel 20, feria 2, liberatus Petrus; et liberatus, post notitiam ejus rei

[i] Diss. xv. vol. ii. 49 et seqq.

fratribus factam, alium in locum sese recipit. Postridie, Nisan 22, Aprilis 20, feria 2, innocentes ejusdem custodes Herodis jussu morte multati. Mox et ipse, peractis jam Azymis, Cæsaream descendit: ubi et die tertio perventurus erat. Ibi, secundum ea quæ §. xviii postmodum narrantur, inter natalem Claudii Cæsaris, ut nos quidem conjectavimus[k], Augusti scilicet 1, Ab Judaïci 7, celebrandum, ab Angelo percussus est: unde et, vermibus absumtus, paulo postea exspirat. Interea Saulus ac Barnabas, etsi non ante Pascha finitum, vel etiam aliquanto serius, Maio scilicet exeunte, vel Junio ineunte, Antiochiam reversi sunt.

SECTIO TERTIA.

HARMONIÆ EVANGELICÆ PARS SEXTA. ACTUUM APOSTOLORUM PARS TERTIA.

Separationem Barnabæ et Sauli, qui idem est Paulus, de qua §. i, Evangelii Gentibus adaperiendi et prædicandi caussa, nunc ipsum factam, circa statum Pentecostes diem, A. D. 44, Sivan 6, Maii 22, feriam 1, omnino statuendam crediderimus. Eodem die, sin minus, postridie, Sivan 7, Maii 23, feria 2, Antiochia egressi, Seleuciam, (quæ quadraginta stadiis ab ostio fluvii Orontis, ad occidentem sita, centum et sexaginta tantum ab Antiochia distabat,) sive pedibus eundo, sive, quod verisimilius, navigando, facillime deferri poterant. Inde in Cyprum profecti sunt; quod Barnabæ gratia procul dubio factum: an vero eodem die, non constat.

De sectionibus quæ sequuntur, a secunda usque ad nonam, ubi reditus apostolorum de missione sua Anti-

[k] Dissertatio xv. vol. ii. 49.

ochiam traditur; difficile est temporum discrimina ubique constituere. Contra autem quam jam antea apud Dissertationes nostras supponi videatur[1], multo probabilius arbitrati simus, biennium saltem, vel etiam amplius, in hanc missionem insumtum, quam annum vix unum integrum; quod aliquando opinati sumus. Nam et Cyprus tota, a Salamine ad Paphum usque, pedibus perlustrata est; insula centum quinquaginta millia passuum Romanorum minimum longa; opibus eadem in proverbium usque abundans; atque urbibus et vicis frequens: Barnabæ præterea cognatione gentili conjunctissima. A Cypro, Pergam Pamphyliæ, a Perga, Antiochiam Pisidiæ delati sunt: urbes ab invicem nimium quantum remotas. Apud Antiochiam, primariam regionis suæ civitatem, multum temporis ab ipsis positum esse, tametsi duo tantum sabbata verbis conceptis commemorentur, omnino verisimile est. Nam et interea, uti ex xiii. 49. patet, verbum Dei per universam regionem disseminatum est; cui facto tempore opus procul dubio fuerat: et multo plura, circa has regiones, atque hoc potissimum tempore, quam scriptis mandata exstant, Paulo ipsi accidisse, e Secunda ad Timotheum, iii. 11, etsi viginti duobus fere postea annis dictata, colligatur licet.

Ergo non dubitavimus Pauli ab Antiochia Pisidiæ Iconium tandem secessionem, §. v et vi, Anno saltem Domini 45 adsignare; licet de tempore anni nihil statuere ausi sumus. Iconii etiam *longum* tempus commorati esse traduntur, xiv. 3. ante quam ad Lystram et Derben profugerint; ubi et de persecutionibus aliquando subitis, quarum apud Actus in præsenti nulla distincta mentio facta est, ex eodem ejusdem ad Timotheum Epistolæ loco, conjectura fieri potest. Ne

[1] Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 138.

tamen omnia singillatim percenseamus, etiam inter redeundum, sicut §. ix narratur, vestigia sua, per cunctas Ecclesias quas jam antea fundaverant, relegebant apostoli; confirmantes ubique discipulorum animas, et quod maximum, presbyteros manuum impositione apud singulas ordinantes: unde vix minus temporis ad redeundum quam ad obeundum insumtum iri, proclivis conjectura. De universo igitur, omnino probabile videtur, non prius ad Antiochiam rursum delatos esse quam ineunte auctumno, A. D. 46; quo tempore mare claudi de more solitum erat, æquinoctio auctumnali ad ipsum Septembris 24 vel 25 commisso. Itaque circa Tisri 1, Septembris 20, sectionis nonæ finem statuendum opinati simus. Unde et mora illa, Antiochiæ postea facta, de qua xiv. 28, ab hoc usque tempore, scilicet a kalendis Tisri, A. D. 46, dinumeranda erit.

De sectione x, et deinceps usque ad §. xii, difficilis admodum epocharum constitutio. Verisimile tamen duxerimus, sectionem x, unde et reliquæ pendent, quæ controversiæ illius, de circumcidendis Gentibus, Antiochiæ natæ, originem tradit; non nisi ad A. D. 47 pertinere; et quidem, quantum conjectura adsequi licet, post Pentecosten: descendentibus primum id temporis ab Hierosolymis ad Antiochiam, quicunque de Judæis illi fuere, qui hanc quæstionem principes excitaverunt. De quibus nihil ulterius constitui potest, nisi quod e Pharisæorum cœtu, atque eorumdem credentium, si xv. 5. apud §. xi argumento uti licet, exstiterint necesse sit.

A. D. 47, Pentecoste Maii 19, feria 1. Unde non nisi post Junii 9, feriam 1, ab Hierosolymis ad Antiochiam delati esse poterant. Controversia ab hoc tempore Antiochiæ agitari cœpta, usque sub initium Tisri,

Septembris 9, feriam 2, resistentibus quam maxime Barnaba et Paulo, continuata fuerit. Tum demum, de delegandis ad Hierosolymam, super hac quæstione, Barnaba et Paulo, inter omnes conventum fuerit; ita, ut circiter festum Tabernaculorum, concilium ibidem habendum, et super eadem quæstione cogendum, sicut §. xi narratur, et cogi et haberi posset. Itaque mense Septembri vel Octobri potissimum de controversia ista decisum est: et scriptæ ad fratres litteræ, Judæ ac Silæ una cum Barnaba et Paulo, §. xii, Antiochiam perferendæ traditæ. Inde, post tempus, reversus Hierosolymam Judas: de quo, an exeunte A. D. 47, an ineunte A. D. 48, (quod forsitan verisimilius,) factum sit, incertum: Sila interea apud Antiochiam subsistente.

Reliquum anni ejusdem, et prima etiam anni insequentis pars, usque sub Pentecosten, sicut xv. 35. narratur, a Barnaba quoque et Paulo Antiochiæ actum. Mox ipso Pentecostes postero die, Sivan 7, Junii 7, feria 1, A. D. 48, ut nobis quidem videtur, institutus est secundus ille ad Gentes circuitus, de quo §. xiii; quem et quam primum, post concilium recens Hierosolymis habitum, institutum iri, et tamen ante vernam anni insequentis tempestatem commode institui non potuisse, et verisimilitudinis rationibus consentaneum est, et xvi. 4. apud §. xiv, circuitu jam instituto, confirmatum: ubi dogmatum istorum, tanquam nuper decretorum, mentio de novo fit. Neque enim super quæstione tali ac dubitatione tali Gentium animi diu in suspenso habendi: neque tamen ante Pentecosten, statam et solennem circuitibus hujusmodi, tum Paulo tum ceteris Evangelistis, ut nobis persuasum habemus, tempestatem, etiam ob hanc ipsam caussam de more suo profectum eum esse crediderimus. Ita quatuor solidis annis a primo circuitu secundus hicce distabat: anno autem uno, et

ferme novem mensibus, a reditu Antiochiam, A. D. 46, id temporis facto.

De infirmitate Pauli, qua cummaxime laborantem eum in hunc circuitum exiisse, ex ipsius ad Galatas atque ad Corinthios testimonio constat, in Dissertationibus nostris dictum est [m]. Quæ sequuntur sectiones, a xiii, post separationem Pauli et Barnabæ ab invicem factam, usque ad xxi, cum Paulus de Berœa Athenas deductus est; ad epochas suas particulares seu singulares vix redigi possunt. In summa tamen, biennium ab iisdem, a mense scilicet Junio, A. D. 48, usque ad initium veris A. D. 50, occupatum esse, tametsi aliter apud Dissertationes nostras jam antea constitutum sit [n], nunc quidem probabilius judicamus.

Nam et pedibus iter faciebat Paulus; et ubicunque Evangelium antea prædicaverat, ibi vestigia eadem ab eodem lustratum iri, ex xv. 36 colligendum est. Præterea et Galatiæ et Phrygiæ, nunc primum, circuitum instituisse et peregisse traditur: magnæ porro Asiæ Minoris ac reliquæ partis, eo usque dum ad Troadem devenerit. Inde in Macedoniam, amplum ad Evangelii prædicationem campum, delatus est: et progressu in ulteriora paulatim faciendo, tandem Athenas usque deductus. Vix ad hæc omnia etiam biennium satisfacturum esse persuasum nobis habemus.

Jam vero, cum mari Athenas delatus sit, (id quod ex xvii. 14. tametsi non *ad mare*, sed *quasi ad* mare, ibi ῥητῶς dictum sit, colligi tamen potest,) ante autem mare clausum, id est auctumnum ineuntem, anno priore, scilicet A. D. 49, mari eodem delatus esse non potuerit; post mare rursus apertum, et propterea non nisi anno

[m] Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 187. [n] Ibid. vol. iv. 137.

proximo, id est, A. D. 50, delatus eodem fuerit necesse est. Maris enim aperti, non minus quam et clausi, apud antiquos stata quædam tempestas erat; cujus citimus terminus etiam ad VI idus Februarias, id est Februarii 8, constitui potest, ultimus post Martii 13 differri nequit *. Itaque mense, ut primum, Februario exeunte, vel Martio ineunte, delatus Athenas Paulus.

* Tempus aperti maris, apud Ægyptios, ab epigrammate illo De Mensibus Ægyptiis, Anthologia, iii. 211, superius a nobis laudato, in mensem Mechirem conjicitur.

Σημαίνει πλωτῆρσι ΜΕΧΕΙΡ *πλόον ἀμφιπολεύειν.* Mechir autem in omni kalendario Ægyptio mensis sextus erat; cujus in anno Ægyptio fixo, seu Alexandrino, citimus terminus Januarii 26, extremus, Februarii 24. Inter hos terminos igitur Ægyptiis quotannis apertum rursus mare. Apud eosdem, ut superius etiam a nobis monitum est, teste Plutarcho, De Iside atque Osiride, veris initium sub ipsum mensis proximi, Phamenoth scilicet, principium, seu neomeniam, Februarii 25 erat; tametsi ab iisdem, secundum Ptolemæum, aliquanto citius, ad Februarii 9, ab Hipparcho, serius aliquanto, ad Martii 8, constitutum sit.

Vegetio, De Re Militari, v. 9, citimum tempus, a quo negotiatorum industriæ diutius haud cessandum sit, licet cum periculo adhuc tentandum mare, vi idus Martias, id est Martii 10. Cæsari etiam, apud kalendarium suum, ad tertium postea diem, Martii 13, apertum rursus mare. In mensem Aprilem statam ejusdem tempestatem differt Epigramma illud alterum, Anthologia, iii. 219, De Mensibus Romanorum: ultra quem etiam mensem a nemine, quod nos scimus, dilata reperienda est.

Apud Atticos, teste Theophrasto, *περὶ Ἀδολεσχίας, ἐκ Διονυσίων πλώϊμος ἡ θάλαττα.* Dionysia quædam in omnibus fere Græciæ civitatibus in honorem Bacchi celebrari solita erant; apud omnes etiam, exeunte fere hyeme, ineunte vere potissimum, de more fiebant. Liberalia inter Romanos, quæ alio nomine Dionysia Græcis, ad Martii 17 constituta sunt. De Atticis tamen, constat ferme per totum anni ipsorum decursum Dionysia plura fuisse. Inter hæc et Dionysia illa, Thucydidi, ii. 15, *Διονύσια ἀρχαιότερα*, sc. primigenia et prisca dicta; quæ aliter *Ἀνθεστήρια*: mense nimirum Anthesterione, a die 11 ad 13 usque, haberi solita. Anthesterion mensis apud kalendarium Metonicum Atticus octavus: cujus citimus limes, si a Julii 16 exorsus fueris, Februarii 8, extremus Martii 10. Itaque Dionysiorum horum stata fere tempestas, a Februarii 18 ad 20: post quam, si de Dionysiis hisce Theophrastum acceperis, apertum statim mare.

Dionysia tamen, absolute posita, de Dionysiis *τοῖς ἐν ἄστει*, ad discrimen Dionysiorum *τῶν ἐν ἀγροῖς*, (quæ mense Posideone, se-

Tempus igitur, quod in medio erat, a §. xiv usque ad §. xxi, a Pentecoste, A. D. 48, usque sub exitum

cundum Theophrastum, loc. cit. fiebant,) rectius forsan intelligenda sunt. Statam tamen et hisce tempestatem in mensem Elaphebolionem, Anthesterioni proximum, de more cecidisse, e Thucydide, v. 20. colligi potest: qui pacem illam, Belli Peloponnesiaci exeunte anno decimo, ineunte undecimo, A. CH. N. 421, statim ictam, Elaphebolionis ἕκτῃ φθίνοντος (id est 25) ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν ictam esse prodit. Elaphebolionis citimus terminus, pari atque Anthesterionis ratione, Martii 10; extremus, Aprilis 8. Atque hoc quidem anno, qui cyclis Metonicis intercalaris erat, Elaphebolion Martii 19 inibat; qui alias 18 vel 19 diebus citius inire poterat. Quare, neque etiamsi de Dionysiis hisce Theophrasti verba interpretatus fueris, maris aperti apud Atticos stata tempestas ultra secundam Martii decadem de more proroganda erit.

De Dionysiis tamen hisce, exstat insignis locus apud Plutarchum, Demetrius, xii; qui ad tempus iisdem quotannis solenne deprehendendum in primis facit. Loquitur de anno, ut nobis videtur, post liberatas a Demetrio Athenas proximo; id est, A. CH. N. 306: quando Elaphebolionis primus dies Martii 9. Contigit autem hoc anno, ipso Dionysiorum die, inter celebrandum cummaxime, intermittendæ prorsus festivitatis necessitas: ἰσχυρῶν πάγων γενομένων παρ' ὥραν, καὶ πάχνης βαθείας πεσούσης, ἧς οὐ μόνον ἀμπέλους καὶ συκᾶς ἁπάσας ἀπέκαυσε τὸ ψῦχος, ἀλλὰ καὶ τοῦ σίτου τὸν πλεῖστον κατέφθειρεν ἐν χλόῃ. Jam vero apud Atticam, quæ cæli temperies, mense Maio exeunte saltem, nullo non anno maturæ ad demetendum segetes; ineunte Martio, vel statim postea, non tantum in herbam sive in gramen exeuntia frumenta, sed jam sese in stipulam erigentia. Quo tempore in primis factum gelu, cujus is rigor fuerit qualem Plutarchus hic loci descripsit, merito *præter anni tempestatem* et contra naturam factum sit. Sed et præcipiti cummaxime hyeme, et novo adhuc vere, idem Dionysiis statam tempestatem fuisse confirmaverit. Ergo et maris aperiendi apud Atticos stati dies, præceps hyems et novum adhuc ver.

Plinio autem, Historia Naturalis, ii. 47, idem illud tempus, Flatus Favonii prima tempestas. Flatus Favonii primum tempus, Varroni ac Columellæ, brumalis solstitii atque æquinoctii vernalis medium fere punctum; xlv nimirum ab utroque dies, Februarii 7 vel Februarii 8. Ovidio et Cæsari idem quod veris ineuntis, Februarii sc. 9. Veris initium et in receptis anni Juliani kalendariis Februarii 9. Eudoxo Flatus Favonii citimus terminus, Februarii 5, Dositheo, Februarii 6, Democrito, Februarii 7, Euctemoni, Februarii 8; aliis, Ægyptiis, Calippo, Hipparcho, Metrodoro, parem ad rationem, alius. Ipsi autem Plinio, tum veris initii, tum flatus Favonii, idem terminus; vi idus Februarii, id est Februarii 8: H. N. ii. 47. xvi. 39. xviii. 65. 77. §. 2.

Februarii vel initium Martii, A. D. 50, circuitu tum superioris tum inferioris Asiæ exsequendo, et ceteris peragendis, quæ postea insecuta sunt, impensum est. Ad Philippos in primis, §. xvi, xvii, xviii, æstate præcipiti, vel auctumno ineunte, A. D. 49, Paulum fuisse arbitrati simus. Itaque in Macedoniam ac Græciam non nisi post æstatem noni Claudii Cæsaris pervenerit: quando et fames illa apud Græciam jam fieri cœperit, de qua Dissertationes nostræ [o].

Reliquum temporis, ab æstate vel auctumno, A. D. 49, usque ad vernam A. D. 50 tempestatem, partim Philippis, partim Amphipoli atque Apolloniæ, partim ac præcipue apud Thessalonicen et Berœam actum est: quod ex Epistola ad Philippenses, iv. 15 et 16, colligere licet. Haud parum enim moræ apud Thessalonicenses, civitatem unam, fecerit Paulus, si semel atque iterum de Philippis necessitatibus ejus, adhuc ibidem agentis, subministratum est: etsi tria tantum sabbata de hac commoratione apud Actus ῥητῶς posita reperiuntur. Thessalonice, præterea, his temporibus, propriæ sibi Macedoniæ regionis primaria civitas seu metropolis erat; ubi et Judæorum synagoga [p]. Idem de pluribus utriusque ad Thessalonicenses Epistolæ locis, et præcipue, de i. i. 6–10: ii. 1–14: ii. iii. 6–10. conjectandum: quæ nisi de multo diuturniore apud ipsos unius Pauli, quam trium sabbatorum, mora, vix intelligi possunt.

Athenis constitutus Paulus, mandatum Silæ ac Timotheo, quos Berœæ reliquerat, ut quam maturrime sese convenirent, misisse dicitur; ab iis ipsis qui sese eodem deduxissent perferendum. Quos dicto ei obedientes futuros nihil est quod dubitemus: præsertim

o Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 140–142. p Dissertatio ii. vol. i. 180.

cum et ipse interea Athenis *exspectasse* seu *præstolatus esse* dicatur. Constat enim e Prima ad Thessalonicenses, non multum postea temporis Corinthi scripta, Athenis aliquando *solum* relictum Paulum, antequam Corinthum illinc migraret; quod factum esse non potuit, nisi et conventus a sociis suis, Athenis adhuc agens, et derelictus rursus ab iisdem, ibidem etiam fuisset.

De eo ambigi potest; an mari, quemadmodum et ipse, an pedibus, a Berœa Athenas post ipsum venturi Silas et Timotheus. Nos quidem, ex xvii. 16, 17, quæ exspectationis Pauli interea temporis, et sermonum ejusdem tum apud synagogam ad Judæos, tum in foro ad eos qui aderant, habitorum meminerint, terra et pedibus venturos esse omnino conjecerimus. Navigantibus enim a Berœa Athenas usque vix tridui iter; terra autem et pedibus etiam recta euntibus undecim dierum iter: quod multo magis cum iis, quæ interea de Paulo apud Athenas fiebant, congruerit.

Ergo non nisi post duas vel tres minimum septimanas, a tempore deductionis suæ dinumerandas, conventum Athenis a sociis suis Paulum statuerimus. Unde si ineunte Martio deductus ipse est, exeunte eodem adsecuti eum sunt ibi Silas ac Timotheus; de quorum omnium aliquantum postea temporis Athenis conjunctorum mora, e Prima ad Thessalonicenses, ii. 18. iii. 1, 2, facilis conjectura.

Mox, ut ex eodem testimonio patet, missus de novo Thessalonicen Timotheus; Paulo interea Athenis *solo* relicto: unde et de Sila quoque, vel ante idem tempus, vel eodem ipso, alicubi misso, etsi de eo Epistola illa nomine tenus sileat, constare potest. Quod et a sequentibus, xviii. 5. confirmatur; ubi e Macedonia,

una cum Timotheo, Corinthum ad Paulum delatus esse traditur. Ergo interea in Macedoniam, et quod verisimillimum est, Philippos, missus fuerit, necesse est.

Hæc omnia eo faciunt, ut non nisi sub medium mensem Aprilem, postquam Paulo apud Athenas conjuncti essent, rursus ab Athenis in Macedoniam delegari Silas ac Timotheus potuerint. Quos et ante ipsum Paulum ab Athenis discessisse, atque eo consilio ut non Athenis rursus, sed apud Corinthum, inter se omnes conjungendi postea essent; non tantum e Prima ad Thessalonicenses, sed et ex Act. xviii. 5. constare potest. Itaque non diu ante Paulum Athenis profectos putaverimus: ea autem ratione, ut si circa medium Aprilem emissi ipsi, circa finem ejusdem et Paulum Corinthum digressum esse statuendum sit. Sectio igitur xxii, quæ Pauli orationem coram Areopagitarum concilio habitam tradit, ad mensem potissimum Martium, atque eundem fortassis ineuntem, A. D. 50, pertinuerit. Mox, adventus Silæ ac Timothei; atque aliquanto postea rursus emissio: ille exeunte Martio, hæc sub medium Aprilem probabiliter constituenda. Postremo, digressio ipsius Pauli; non nisi labente eodem Aprili, atque ad finem spectante, facta.

De Athenis ad Corinthum usque iter tridui. Ita si Jar 22, Maii 1, feria 1, profectus Athenis Paulus, ad Jar 24, Maii 3, feriam 3, Corinthi adesse poterat. Mense igitur Maio ineunte, A. D. 50, statuendus videtur primus ad Corinthum Pauli adventus; de quo §. xxiii; ubi et sub ipsum adventum, recens eodem advectos, Aquilam ac Priscillam offendisse dicitur. De qua re, et de caussis, unde factum erat ut edicto Claudii Cæsaris Judæi omnes a Roma, atque ab Italiæ finibus, expulsi essent, satis accurate apud Disserta-

tiones nostras tractatum est[q]. Illud tantum in præsentia admonendum. Bellum nimirum inter Galilæos et Samaritanos conflatum, unde et cum Romanis a Judæis arma conserta, et milites Romani in acie cæsi erant, (quod et præcipue in caussa edicti Claudiani illius postea insecuti crediderimus,) non ante exitum Scenopegiæ, A. D. 49, id est Tisri 23, Octobris 8, conciri potuisse. Ergo nec nisi post tres menses, minimum, nuntium de eo Romam perferri. Itaque, omnino probabile est, circa exitum Januarii vel principium Februarii, A. D. 50, expulsos Roma atque Italiæ finibus edicto Claudii Judæos fuisse. De Roma ad Corinthum trium ferme septimanarum iter; et si anni tempestatis, hibernæ illius ac navigationi adversæ, rationem habueris, propter impedimenta et moras, quæ exinde oriri poterant, fortasse aliquanto pluris. Ergo non nisi sub initium Martii, vel etiam eo tardius, delatos esse Corinthum Aquilam ac Priscillam conjectandum est: unde vix bimestris unius solidi, seu confecti, spatio urbis illius inquilini jam facti erant, quando Paulus ab Athenis eodem devectus est. Itaque *προσφάτως ἐληλυθότες* tunc cummaxime jure optimo dici poterant.

Aliquantum temporis a Paulo, etiam ante adventum Silæ et Timothei, Corinthi actum esse, e §. xxiii, Act. xviii. 3, 4. patet; quod et singulis sabbatis apud synagogam disputando, reliquis hebdomadæ diebus operam suam una cum Aquila exercendo, impensum est. Mox, delatis eodem e Macedonia sociis ejus, intentior pro Judæis zelus ipsius factus; eo usque dum crescente in dies ipsorum obstinatione, separationem moliri coactus, Gentibus prædicare inceperit: de quibus, §. xxiv.

Ex eo tempore, anni unius et mensium sex, tan-

[q] Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 129–137.

quam Corinthi positorum, mentio distincte fit, xviii. 11: quod cum absolute proditum sit, secundum idioma Divi Lucæ, de anno integro et de semestri integro intelligendum. Mox coram Gallione, §. xxv, a Judæis constitutus Paulus. Etiam postea, §. xxvi, dies aliquot Corinthi moratus fuerit, ante quam tandem in Syriam navem solverit. Quod nos quidem nisi aperto jam suo tempore mari, id est, non ante idus Februarii, A. D. 52, ut primum, factum iri, opinati simus. Sed et cum navigationis hujus in Syriam caussa vel maxima fuerit, (id quod ex §. xxvi et Epistola ad Galatas certissime colligendum est,) ut Pascha proximum (festum enim illud, quod instabat, Pascha fuerit necesse est) Hierosolymis observaret; Pascha autem, A. D. 52, Aprilis 2 celebrandum erat: omnino credibile nobis videtur, circa Sebat 30, Februarii 18, feriam 1, A. D. 52, e Corintho Paulum solvisse.

Ab hoc igitur die, A. D. 52, temporis subductione retro instituta, constitutio illa Pauli coram Gallione, de qua §. xxv, circiter exitum mensis prioris, Tebeth videlicet 30, Januarii 19, feriam 6, contigerit; unde et primo proconsulatus Gallionis semestri labente, et circa anni tempestatem illam, qua et ipse Corinthi potissimum conveniendus erat, acta hæc fuerint: de quorum utroque apud Dissertationes nostras satis [r]. Annus autem ille, et sex menses integri, ab exitu Tebeth Judaïci, Januarii 19, A. D. 52, retro dinumerati, usque ad principium Ab, Julii 8, A. D. 50, repetendi fuerint necesse est. De quibus illud etiam notandum: et Ab nimirum 1, et Julii 8, A. D. 50, utrumque in feriam sextam cecidisse: unde et finis ille prædicationis Pauli, apud synagogam atque ad Judæos, factus, de quo §. xxiv, Act. xviii. 6, 7, ipso Ab 2, Julii 9, feria 7,

[r] Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 145–148.

principium autem illud prædicationis ad Gentes, die postridie, Ab scilicet 3, Julii 10, feria 1, contigisse potuerit. Inter quæ, et Domini visio ad ipsum Paulum oblata; de qua xviii. 9: ipso fortasse Julii 9 vel 10, Ab 3 feria 1 ineunte, noctu facta.

Adventus igitur Silæ et Timothei e Macedonia ad Corinthum, exeunte mense Judaïco Thamuz, ineunte Julio nostro, ante diem tamen ejusdem 7, contigerit: quod omnino cum iis convenerit, quæ superius de tempore missionis eorundem ex Athenis a nobis disputata sunt. Etenim ab Athenis ad Philippos usque, pedibus euntibus, etiam recti itineris millia passuum Romanorum circiter cccxxv: de Philippis ad Corinthum, cccv. Ergo si mense Aprili medio emissi Athenis, mense autem Julio ineunte iidem Corinthum ad Paulum rursus delati sunt; vix mensem unum integrum ministerio suo exsequendo, reliquum ferme temporis etiam itinere faciendo insumserint, necesse est.

Ad hasce igitur rationes omnia hæc constituenda judicamus. Mense scilicet Aprili, A. D. 50, sub dimidium maxime, missos ab Athenis Silam ac Timotheum: mense eodem, sub exitum ejus, seu potius ipsis Maii kalendis, digressum ab Athenis et Paulum. Mense Julio ineunte reversos ad ipsum, Corinthi agentem, Silam ac Timotheum. Circiter Ab 3 Julii 9 prædicandi ad gentes initium Corinthi factum: anno justo uno, et mensibus justis sex, idem postea continuatum. Exeunte mense sexto, A. D. 52, constitutum a Judæis coram Gallione Paulum: exeunte septimo, id est circa Sebat 30 Februarii 18, e Corintho in Syriam solvisse.

Ex hisce præmissis, sequitur justum tempus Epi-

stolæ ad Thessalonicenses Primæ conscribendæ, de qua §. xxiv nostra, omnium scilicet Epistolarum Paulinarum primæ, (omnium potius Novi Fœderis consimilis generis scriptorum temporis ratione principis,) probabiliter mensem Julium, A. D. 50, fuisse; Secundæ, atque aliquanto postea scriptæ, Augustum vel Septembrem.

Mari Corintho, Sebat 30, Februarii 18, feria 1, profectus Paulus, quo postea die Ephesum adpulerit, dubitari atque anquiri potest. Si compendia navigationis spectas, si tempus anni navigationi maxime idoneum, si id quod certis de caussis, et certo rerum statu, fieri nonnunquam potuit, non id quod de more et de consuetudine in rebus ejusmodi fieri solebat; exstant sane exempla confectæ paucis admodum diebus a Peloponneso vel ab Attica Ephesum usque navigationis. Statum autem ejusmodi navigationis intervallum, non inde ab Isthmo Corinthi, sed a Piræeo Atticæ, neque sub exitum Februarii mensis, sed anni tempestate navigantibus multo magis idonea, sub initium scilicet Octobris; non infra quatuordecim, minimum, dies cecidisse, ad unum et viginti multis de caussis facillime extendi potuisse, de exemplo Ciceronis colligere licet; qui kalendis Octobris, U. C. 704, A. CH. N. 50, redux e provincia, Ephesi conscensa nave, et, sicut ipse ad Atticum scribit, *ita properabundus ut non posset magis*, tamen pridie Idus ejusdem mensis tantum Piræeum adpulsus, ipso illo die e nave exiit *. Ergo,

* Verba Ciceronis hæc sunt: "Kal. Oct. Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquitio, simul e portu egredienti, sed expeditius naviganti. Nos Rhodiorum aphractis ceterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. Ita tamen properabamus ut non posset magis:" Ad Atticum vi. 8. Dein, "In Piræea cum exissem pridie Idus Octobris" &c. Ibid. vi. 9. Cf. etiam, vii. 1. et x. 11.

Nemo autem nobis objecerit oportet, famosam illam anni civilis Romani, ante reformatum a Cæsare kalendarium, luxationem:

quatuordecim dierum intervallum navigationi isti impositum est: quantum etiam nunc ipsum et a Paulo, tum ab Isthmo Corinthi, tum mensis Februarii 18 solventi, et si ita fors tulerit, dimidium insuper amplius, iisdem vestigiis insistendo insumtum iri, nemini non probabile videatur oportet.

compertum est enim nobis, U. C. 704, A. CH. N. 50, inter annum civilem Romanum, atque annum Julianum prolepticum, nondum ultra mensem discrimen cumulatum esse; ita ut September in Augustum, October in Septembrem, magna de parte, non autem totus, inclinatus esset. Quod nostris rationibus eo magis faverit, quo commodior ad navigandum Augustus quam September, et September quam October.

Exstat quidem apud Thucydidem, iii. 3, exemplum confectæ, ab Athenis ad Mitylenen usque Lesbi, die tertio navigationis: alterum, apud Xenophontem, Hellenica, ii. i. 30, ab Ægospotamis ad Lacedæmonem nuntii tertio die delati: tertium apud Syllam Plutarchi, xxvi, classis ab Epheso ipsa ad Piræeum die tertio adpulsæ. Sed et hæc, et similia, quid fieri poterat tantum, non quid fieri solebat, probant. De Athenis siquidem ad Ephesum, per Cycladas, rectus atque idem expeditissimus cursus; quo nemo tamen, nisi qui temporis tantum compendii curam haberet, usus fuisset. De Paulo, probabile est a negotiatoribus Ephesum deductum esse; quibus oræ necessario legendæ erant.

Exstat apud Solonem Plutarchi, capite vi, narratiuncula quædam, de Solone et Thale Milesio; quæ sive fabula, sive res vera, præsentis quæstionis nihil omnino interest: de advena quodam, *decimo* die ab Athenis usque ad Miletum mari delato: quod idem et consulto fictum. Igitur ab Athenis ad Miletum stata navigatio dierum, minimum, decem. Apud Cimonem ejusdem, xix, classi Atheniensium a Cypro ad Athenas triginta dies in navigando positi dicuntur; quibus et mortuus Cimon suis in patriam redeuntibus et ducis et classis præfecti munere functus sit. Apud Dionem autem suum, xxv, tradit idem Plutarchus, Dioni, Syracusas expeditionem contra Dionysium ducenti, ab insula Zacyntho ad Pachynum Siciliæ, tranquillo mari, serena adhuc tempestate, secundantibus cummaxime etesiis, diebus tamen duodecim navigationem stetisse; inter Augusti 9, A. CH. N. 357, lunaris eclipseos diem, de qua cap. xxiv, et Septembris 6, statum in kalendario Metonis sive Euctemonis Arcturi exortus diem, de quo cap. xxv. conficiendam. De Zacyntho ad Pachynum, vix tertia minus parte idem intervalli, quod inter isthmum Corinthi et Ephesum, oram legentibus, fuisset. Quare si duodecim dierum illa navigatio, pro pari ratione hæc sedecim minimum futura. Multis autem de caussis ad viginti, vel ultra, extendi poterat.

Feria igitur prima, Sebat 30, Februarii 18, conscensa Cenchreis nave, tertio postea sabbato, Adar 20, Martii 9, Ephesum interea temporis delatus, ad Judæos ejusdem inquilinos apud synagogam concionari poterat. Unde cetera pari ratione constituenda. Nam Ephesi ultra sabbatum illud moram traxisse non videtur; sed reditum tantum commodiore aliquando tempore Judæis Ephesiis pollicitus, quum primum potuit, in Syriam iter continuasse. Itaque postridie, Adar 21, Martii 10, feria 1, ex Epheso rursus solverit. Unde et Hierosolymis jam adesse, et Pascha tempore suo, ab Aprilis saltem 2 usque ad 9, observare, nullo negotio poterat. Peracto festo, Antiochiam postea descenderit; quod mense eodem labente factum iri, nobis quidem omnino probabile videtur. De quibus omnibus, §. xxvi.

Ceterum, de itinere hoc Pauli ad Hierosolymam in universum; quod ex revelatione seu monitu quodam divino susceptum sit; quod insignis admodum in Evangelii Dispensatione procuranda epocha idem fuerit, Petri etiam, ad Evangelium extra Judæam prædicandum, circuitu ab hoc usque tempore instituto; quod Barnabas, alter ille de Gentium Apostolis, una cum Paulo Hierosolymis præsens fuerit; quod Titus, etsi nulla de eo apud Actus mentio, itineris Paulo tum antea tum postea comes et socius erat; quod Silas seu Sylvanus, ab A. D. 48, ad hoc usque temporis, Paulo laborum consors, Hierosolymam simul profectus, Petro deinde jugalis et consors factus sit; quod de pecuniarum inter Gentes collatione instituenda, Hebræorum credentium atque eorumdem pauperum, seu matris Ecclesiæ, gratia, inter omnes convenerit; quod post Paulum et Petrus Antiochiam descenderit; quod aliquantum temporis uterque ibidem fuerit, quo etiam intervallo objurgatio illa Petri a Paulo publice facta est,

de qua ipse ad Galatas, ii. 11; satis a nobis in Dissertationibus nostris disputatum [s], atque uti confidimus comprobatum est.

Sectionis igitur xxvii, quæ Pauli de novo ab Antiochia profectionem narrat, omnibus hisce posterius quidem, circa tamen diem Pentecostes, A. D. 52, id est Maii 23, feriam 5, et forsan ipso Sivan 9, Maii 26, feria 1, epocha constituenda videtur. Quæ profectio, ita instituta, superioribus Asiæ Minoris dictæ regionibus obeundis, atque in primis Galatia et Phrygia perlustranda, eo usque continuata est, donec anno proximo, A. D. 53, Ephesum rursus devenerit Paulus: de cujus adventus epocha mox dicetur. Sub idem tempus et Divum Petrum, comitante Sylvano, et Marco Evangelista, in circuitionem illam suam, quam ante scriptam a se Primam suam ac Catholicam et susceptam et confectam esse constat; ab Antiochia exiisse opinati simus. Paulo quoque ipsi, profectionis e Syria initio, uti ex Epistola ad Galatas colligere licet, comes et socius Titus erat: qui tamen an Ephesum postea simul delatus, an alias ob caussas, et inprimis propter pecuniarum collationem illam, cujus supra meminimus, alicubi Asiæ vel superioris vel inferioris relictus sit, parum liquet; etsi tum ex Epistola ad Galatas, tum e binis ad Corinthios Epistolis, hoc probabilius videatur. Collationis autem illius caussa, vel maxima, annus sabbaticus; qui A. D. 55, mense Tisri, post Septembris 10 initurus erat [t]. Cujus etiam gratia, collectæ interea tum ex Ecclesiis Asiaticis, tum ex Achaia et Macedonia, pecuniæ, et delegatis ab ipsis idoneis quibusdam viris, qui una cum Paulo iter ad urbem facturi erant, commissæ, medio fere anni illius curriculo, circa Pen-

[s] Vide Diss. ii. vol. i. 109–113.

[t] Vide Appendix, Diss. xix. vol. iv. 164, 165, 178–182.

tecosten scilicet A. D. 56, Hierosolymam tandem perlatæ sunt.

Labente eadem A. D. 52 æstate, et Apollo sive Apollonium ab Alexandria Ephesum adpulisse crediderimus; tametsi de epocha adpulsus nihil constituere ausi simus. Ejusdem ad Corinthum postea profectionis incerta pariter est epocha; nisi quod jam tum Corinthi agentem fuisse, quo tempore Paulus Ephesum primum adventaret, e §. xxviii, cap. xix. 1. colligi potest. An mari, an pedibus, Ephesum egressus sit, nihil definitum. Nos autem, ex voce *διελθεῖν*, xviii. 27. de hujus profectionis scopo et proposito usurpata, hoc potius collegerimus; itaque ab Epheso, per Asiæ oram maritimam, et Macedoniam, pedibus iter facientem Corinthum usque perventurum eum esse: quo tamen ab Epheso, etiam recti itineris, ultra DC millia passuum Romanorum, sive dierum triginta iter. Quare non minus mense integro saltem jam antea profectus erat ab Epheso Apollos, si Corinthi agebat, quando Ephesum delatus est Paulus.

De sectionibus xxviii–xxxi, quæ res Ephesi gestas post Pauli adventum tradunt; rationes chronologicæ variis ex argumentis probabiliter saltem et deprehendi et constitui possunt. Primum enim, ex quo tempore post adventum apud synagogam ad Judæos concionari cœperit, trimestre intervallum *ῥητῶς* positum est; quam temporis notam, de more Divi Lucæ, tres menses solidos indicare, concludatur oportet: quibus nimirum idem continuatum sit, eo usque dum, separatis tandem discipulis, disputationis ad Gentes quotidianæ apud scholam Tyranni initium factum sit. Primo scilicet mensis cujusdam die, prædicare ad Judæos apud synagogam inceperit Paulus; primo etiam mensis ab eodem quarti, ad Gentes apud scholam Tyranni idem facere instituerit.

Ergo conjectura perquam probabilis nobis videtur, exeunte potissimum mense Adar, ineunte hebdomada tantum, atque ante sabbatum, Ephesum, A. D. 53, delatum esse Paulum; nescimus etiam an ipso Adar 24, Martii 2, feria 1, quatuor solummodo diebus, pro ratione computandi Judæis usitata, post promissi reditus anno superiore diem, Adar videlicet 20, Martii 9, feriam 7. Statim autem post adventum, et discipulis illis, undecim fere numero, de quibus §. xxviii, ut baptismate tantum Joannis antehac initiatis; (quos propterea ab Apollonio Ephesi conversos fuisse proclivis conjectura;) per baptismum Domini Jesu, et manuum impositionem, Spiritus sancti donum impertit. Mox ipso Adar 30, Martii 8, feria 7, apud synagogam Judæis prædicare incipit. Idem per tres postea menses, atque eos justos, facere pergit. Ergo ultimus trimestris illius, et prædicationis cum eodem tum incipientis tum desinentis, dies, Sivan 29, Junii 4, feria 4.

Primo die Thamuz, Junii 5, feria 5, cœpta est quotidiana ad Gentes apud scholam Tyranni disputatio. Quod idem in annos duos, et quidem perfectos, (absolute enim a Divo Luca ponuntur,) prolatatum, usque ad Thamuz 1, Junii 13, feriam 1, A. D. 55, devolutum fuerit; ante quam Paulus, de itinere ad Hierosolymam suscipiendo animi jam confirmatus, Timotheum et Erastum, de quibus §. xxx, in Macedoniam ab Epheso miserit. Hos igitur ipso Thamuz 1, Junii 13, feria 1, emissos Epheso fuisse, ex præcedentibus colligi potest: Paulo interea temporis aliquantum diutius apud Ephesum moraturo. Qui tamen, si in animo etiam tunc habuerit, (quod omnino verisimile credimus,) et ipse illos adsequi; non minore temporis intervallo Timotheum atque Erastum in Macedoniam ante se miserit oportet, quam quod ad iter ab Epheso Macedoniam

usque pedibus conficiendum sufficeret. De Epheso autem in Macedoniam, atque inprimis ad Philippos usque, millia passuum Romanorum ccc, dierum xv, etiam recti itineris, spatium. Ergo si Thamuz 1, Junii 13, feria 1, emissi ab Epheso Timotheus et Erastus, ad usque Thamuz saltem 15, Junii 27, feriam 1, apud Ephesum ipse subsistere in animo habuerit Paulus. Quod mirum in modum ab iis quæ postea insecuta sunt, turbis nimirum illis, de quibus §. xxxi, a Demetrio atque opificibus, ante profectionem Pauli, apud Ephesum concitatis, illustrari et confirmari potest.

Etenim turbarum illarum tempore, uti et in Dissertationibus nostris admonitum est [u], Ephesia quædam, in honorem Dianæ, cummaxime celebrabantur: quorum gratia et Asiarchæ eodem tempore apud Ephesum præsentes erant. Ludos autem illos Olympicorum instar fuisse, e testimoniis a nobis citatis [x] probabiliter admodum constare potest; unde et circa plenilunium solstitio æstivo proximum, tempore stato suo, de more cecidisse, et de more celebrari debuisse, necessario pæne colligendum. Plenilunium autem mensis Junii, A. D. 55, et verum illud atque astronomicum pro meridiano Ephesino, uti ex calculo patebit, et civile alterum illud, e kalendario nostro desumtum, utrumque ipso Junii 27, Thamuz Judaïci 15, commissum est: quod idem et plenilunium solstitio æstivo proximum, sive antea sive postea, eodem anno fuisse, nihil est quod probemus.

Et civilis quidem plenilunii tantum, non autem veri seu astronomici in hujusmodi cyclis, ad ludos pertinentibus, rationem habendam esse, satis constat; pro diversitate autem kalendariorum lunarium, quæ hac tem-

[u] Appendix, Diss. xix. vol. iv. 154–156. [x] Ibid.

pestate extra Judæam obtinebat, diversam et pleniluniorum ejusmodi computationem necessario futuram esse, ex æquo constat. Kalendariorum porro hujus generis omnium, hac tempestate præsertim, non ad amussim cum lunæ rationibus convenire, communis fere culpa erat; in excessu tamen potius quam in defectu peccare, singulis fere sine discrimine proprium. Illud tantum intererat, ut in unum plus, in alterum minus, omnibus ad lunæ rationes ex æquo exactis, istiusmodi excessus caderet. Quo in genere tamen de cyclis Metonicis tantum, sive Calippicis, loqui volumus; non autem de cyclis octaëtericis, vel de kalendariis ad eosdem directis: quibus penitus inhærens vitium erat, ut ultra octennium primum cum cursu lunæ convenire nequirent, post secundum, tridui defectu ab eodem necessario retro verterentur: mox pro singulis octenniis eousque erroris procederent, ut novilunium ipsis plenilunium verum, plenilunium autem novilunii loco esset. Qui rerum præposterus ordo non nisi tempore corrigi poterat; ipso scilicet peccato remedium sui adferente: cum mense lunari toto ac vero ejusmodi aberratione absumto, tandem in sua rursus vestigia, unde a principio progredi instituerant, una cum luna redirent.

Quare, cum plenilunium civile mensis Junii, A. D. 55, apud nullum kalendarium lunare civile, hac tempestate, excepto Judaïco et sacro nostro, ut nobis satis constat, idem ac Junii 27, verus plenilunii, pro meridiano Ephesi, dies, futurum erat; apud nullum citerior ejusdem terminus quam Junii 29, apud nonnulla, quam Julii 1, apud alia quam Julii 5, constitui potest. De more tamen ludis Olympicis usitato, cum undecima luna inire, cum decima sexta exire, diebus interea sex, ludi illi constare debebant. Ergo, si circa Thamuz 16 nostrum, Junii 28, obortæ turbæ illæ, ex nulla non

ferme computandi ratione, intra sex illos dies, hujusmodi ludis de consuetudine contribuendos, et dies ille excitatarum a Demetrio apud Ephesum turbarum comprehensus fuerit, necesse est. Circiter idem tempus et proconsul Romanus, cui alias Ephesus statum domicilium, et proconsularis imperii sedes erat, conventibus, seu foris, apud exteras diœceses agendis, absens ab urbe fuerit; id quod a nobis monstratum est [y]. Unde nemo ad compescendos hujusmodi tumultus, si forte oborti essent, præter civilem ipsorum magistratum, eumdem scribam urbis seu civitatis nuncupatum, Ephesi relictus erat. Quæ omnia et inter se apte cohærent, et mutuo fidem sibi præstant.

Quare omnino verisimile crediderimus, ipso Thamuz 16, Junii 28, feria 2, destinato jam antea ad Pauli ipsius ab Epheso profectionem die, turbas illas ibidem coortas esse. Mox, eodem illo die sopitis, (neque enim ultra horarum duarum vel trium spatium durasse videntur,) ipsum ab Epheso digressum: de quo §. xxxii. Ab Epheso ad Troadem usque novem dierum iter. Ergo ad Thamuz 24, Julii 6, feriam 3, circiter, apud Troadem Paulus. Troade nonnihil temporis, quantum quantum illud fuerit, moratum eum esse ex Secunda ad Corinthios, iii. 12, 13. constat. Igitur circiter medium Julium, ineunte mense sacro Ab, in Macedoniam perrexisse, probabiliter constitui potest. Ceterum totum illud temporis spatium, quod a primo adventu Pauli ad Ephesum, usque ad profectionem exinde rursus in præsentia factam, apud urbem illam actum est; pro rationibus nostris, ab Adar Judaïci 24, Martii 2, A. D. 52, usque ad Thamuz Judaïci 16, Junii 28, A. D. 55, sine interruptione continuatum fuerit necesse est. Unde, de more computandi Judæis usitato et familiari, biennio

y Appendix, Diss. xix. vol. iv. 149–153.

integro, et quinque præterea mensibus tertii alîus anni, vel confectis vel adfectis saltem, constitisse dici poterat; biennium autem integrum, et quinque tertii præterea anni cujusdam menses, de more loquendi eodem, quasi *τριετία τις*, seu triennium ferme exactum nuncupari debuissent. Id quod a Paulo ipso, in concione sua, ad presbyteros Ecclesiæ Ephesiæ postea Mileti habita, de longitudine moræ apud urbem ipsorum atque inter ipsos in præsentia tractæ, Actuum xx. 31, ponitur.

Atque hæc quidem omnia, quæ ad hasce rationes ex ipso Actuum de se testimonio colligenda et constituenda esse videntur; magnopere ex Epistolis Paulinis et illustrari et corroborari possunt. De quibus tamen, cum apud Dissertationes nostras accurate prorsus et singillatim tractatum sit; nisi strictim et cursim in præsenti agere, omnino supervacaneum foret.

Epistola siquidem ad Corinthios prima, etiam se teste, circa Pascha, A. D. 55, id est Nisan 14, Martii 30, scripta est; quo tempore, de mora sua apud Ephesum usque sub Pentecosten saltem, id est, ad Sivan 6, Maii 20, atque etiam ulterius trahenda, mentionem et Paulus ipse facit; quem etiam nos non ante Junii 28 inde digressum esse supponimus.

Scripta est autem hæc a Paulo Epistola, responsionis nomine ad Corinthiorum litteras quasdam, Ephesum ad se, a Stephano, Fortunato, atque Achaïco, jam antea perlatas; et per eosdem ad Corinthios est missa: qui et mari advenisse et mari redituri esse videntur. Quos igitur non ante apertum mare, id est non ante Februarium mensem adfectum saltem, e Corintho solvisse credendum. Ergo non nisi extremo Februario, vel ineunte

cummaxime Martio, ut primum, Ephesum adpulsos esse. Unde et, circa statum Paschatis tempus, cum Prima ad Corinthios remitti poterant; ita tamen, ut sub ipsum Pascha Corinthum cum ipsa perventuri essent: quod multum lucis et in verba ipsius, v. 7, 8 reflexurum, et multum exinde in se ab iisdem derivaturum fuerit. Igitur circa Martii 30, Nisan 14, rursus apud Corinthum ipsorum nuntii.

Ante tamen horum ad Ephesum adventum, tametsi non diu ante, de statu rerum apud Ecclesiam Corinthiam, atque in primis de partium studio et grassantibus ibi cummaxime factionibus, ex iis rescierat Paulus, quos ipse, i. 11, τοὺς Χλόης vocat. Ubi et casus ille in primis animadvertendus est, quod ante hoc tempus, mensem scilicet Februarium sive medium sive ineuntem, A. D. 55, secundus a Paulo Apollos, tertius autem Cephas seu Petrus, Evangelium Corinthi prædicasset. Et de Apollo seu Apollonio quidem etiam ex Actibus constat. De Petro seu Cepha autem tum ex his ad Corinthios locis, tum ex traditione Ecclesiæ, idem ex æquo constare debet. Qui in circuitionem suam, ineunte æstate, pro rationibus nostris, A. D. 52, egressus, sub veris initium, A. D. 54, Romam versus iter faciens, Corinthum post Apollonium secundus, post Paulum tertius, facillime delatus esse potuit; atque eodem ipso anno labente, etiam post tantum temporis Corinthi actum, quantum ad Evangelium ibi prædicandum, et numeros Ecclesiæ ejus proprio suo ministerio augendos sufficeret, porro ex eadem urbe Romam contendere poterat. Sed de his, et de ceteris ejusmodi, abunde satis in Dissertationibus nostris dictum est. Nunc ad propositum redeamus.

Commotus animi valde ab his quæ rescierat Paulus,

et Corinthiorum vicem dolens, e vestigio Timotheum Corinthum mittit; qui si, exeunte Februario missus, pedibus iter facturus erat, vix infra trimestre spatium Ephesum reversus esse potuit; ubi tamen, ut vidimus, præsens erat, ipso Thamuz 1, Junii 13, postea. Digresso Timotheo, paulo post legati Corinthiorum, de quibus superius dictum est, Ephesum mari advecti; et postmodum cum Prima ad Corinthios rursus dimissi sunt: unde et, mari seu navigantes ipsi, Timotheum, terra ac pedibus euntem, Corinthi procul dubio præversuri erant: id quod, ex ipsa Epistola, etiam Paulo haud inopinatum futurum esse, constat.

Post hæc omnia, ex Asia superiore, ut verisimillimum videtur, Titus, atque alter e fratribus, de quo ulterius tacetur, (nisi quod Ecclesiarum collationes pecuniarum illæ, de quibus supra mentionem fecimus, in usum et subsidium pauperum Ecclesiæ Hierosolymitanæ destinatæ, hujus potissimum fidei ab ipsis creditæ erant,) Ephesum devenerint; inde autem, Pauli ipsius hortatu, uterque, atque in primis Titus, Corinthum quoque ipse missus sit. Cujus ad Ephesum adventus et rursus ad Corinthum profectio ita exciderit necesse est; ut quando Troadem ab Epheso tandem Paulus pervenisset, ratione temporis inita, Titum cummaxime apud urbem illam redeuntem se offensurum esse, non sine caussa speraret. Ergo tribus ferme mensibus, post profectum ab Epheso antea Titum, apud Troadem Paulus. Jam vero apud Troadem Paulus circa Thamuz 24, Julii 6. Itaque circa principium Jar, Aprilis 15, Epheso profectus est Titus: quod omnino prorsus cum iis, quæ jam antea constituta sunt, congruit.

Et quidem, etsi minus Troade, tamen in Macedoniam egressus Paulus, Tito redeunti extemplo obviam factus

est: id quod e secunda ad Corinthios constat. Qui et in Macedonia conventus, et post rationem missionis suæ ad Corinthum redditam, (unde maxima se voluptate perfusum et summo solatio adfectum sæpenumero testatur Paulus,) etsi de ceteris omnibus, quæ ipsorum caussa sollicitum eum antea habuerant, de Corinthiis securo jam Paulo; pecuniariæ tamen illius collationis gratia, tum inter Corinthios, tum inter reliquas Achaiæ Ecclesias, expediendæ atque ad finem perducendæ, prius quam Paulus ipse rursus ad eos delatus foret, non magis hortatu et suasu Pauli, quam voluntario ipsius motu, (qui Paulum rem illam magni facere videbat, cujus studio in omnibus morem sibi gerendum esse,) una cum eodem illo fratre, atque alio etiam quodam, e Macedonia rursus Corinthum extemplo proficiscitur. Hanc enim secundæ hujus Titi ad Corinthum profectionis, atque hanc unicam caussam fuisse, non alteram illam, quæ et Timothei omnium primi, et Titi, post Timotheum, primam eodem missionem pepererat; e Secunda ad Corinthios, post conventum in Macedonia saltem Titum, sin minus post inde rursus Corinthum profectum, scripta, abunde constat. De qua etiam pecuniarum collatione, apud epistolam eandem, ix. 2. viii. 10. ad Macedonas cummaxime se gloriari testatur, quod Achaia *de anno præterito* parata fuerit. Quare non diu ante Secundam ad Corinthios scriptam, atque haud scimus an una cum hac ipsa, iterum Corinthum profectus est Titus. Cum autem, tanquam paratæ de anno præterito Achaiæ, A. D. 55, mentio fiat; paratio seu præparatio ista jam ab anno 54 constare cœperit, necesse est: unde aut A. D. 54, aut quod magis verisimile opinati simus, A. D. 53, præparatio ipsa instituta fuerit, sequitur. Titi autem ministerio, ad hanc inter eosdem præparationem expediendam, jam antea usum esse Paulum, ex eadem epistola liquet.

De Petro, probabile judicaverimus, labente anno 54 Corintho Romam profectum esse. Itaque primi illius ad Romam adventus epocha, sane quam probabilis, A. D. 54. Ubi etiam dum adhuc moram trahebat, et scriptum a Marco Evangelista, ejusdem comite ac ministro, Evangelium suum, et Hebraïcum Matthæi exemplar, pro rationibus nostris, Græce versum est [y]: ambo autem Græce loquentia Romæ nunc primum in lucem conjunctim emissa sunt. Anno 56 ineunte, a Roma Ægyptum contendit Petrus, comitante etiam Marco; ubi et de Prima ejus Epistola apud Babylonem Ægyptiam scripta, et de epocha ejusdem scriptæ, videndæ Dissertationes nostræ [z].

Constat, ex §. xxxiii, Actuum xx. 3, tres menses a Paulo Corinthi positos esse, postquam eodem secundo delatus est. Qui cum absolute statuuntur, de mensibus justis intelligendi sunt. Constat porro, ex §. xxxiv, post Azymorum dies, id est circiter Nisan 22, Martii 27, feriam 2, a Philippis postea in Asiam digressum. Ergo Philippis Paulus, Nisan 14, Martii 19, feria 1. Jam vero a Corintho Philippos usque pedibus eunti, sicuti superius dictum est, xv dierum etiam recti cursus iter. Ergo circa Adar 30, Martii 5, feriam 1, in Macedoniam e Corintho digressum Paulum, statuatur necesse est: quo etiam tempore, vel parum admodum maturiore, et Epistolam ad Romanos dictaverit; siquidem Cenchreis, ante mutatum de ratione itineris consilium, epistola illa in primis dictata est [a].

Itaque Adar 29 ultimus trimestris illius, Corinthi acti, dies. Ergo Chisleu 29, Decembris 6, feria 2, A. D. 55, primus. Collatis igitur inter se rationibus hisce,

[y] Dissertationes nostræ, ii. vol. i. 98–168. [z] Ibid. [a] Vide Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 169–173.

si ineunte Ab Judaïco, circiter medium Julium, a Troade in Macedoniam perrexerit Paulus; exeunte autem Chisleu, Decembris 6, in Græciam delatus sit; sequitur quinque menses interea temporis, et quinque pæne justos, apud Macedoniam positos esse: quibus et regionibus istis universis, secundum Actuum testimonium, atque usque sub confinia Illyrici, juxta Epistolam ad Romanos, xv. 19, evangelizatus fuerit: cui facto quinquemestre spatium non nimis amplum futurum, omnis quilibet confiteatur oportet. Nam et κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, et πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον, a se eousque prædicatum, loco citato de seipso testatur Paulus. Quare et tota Macedonia prædicando lustrata, et nulla non ejus pars, ab Hellesponto ferme usque ad Illyricum, particeps Evangelii quodammodo, unius Pauli ministerio, atque hoc potissimum quinquemestri, facta fuerit, necesse est.

Per idem temporis intervallum verisimillimum nobis videtur, et Secundam ad Corinthios, et Epistolam ad Galatas, dictatam esse. Quarum de illa quidem, sive quod ad tempus, sive quod ad locum, scriptionis spectat, ferme constare potest; de hac autem, etiam post accuratissimam et subtilissimam in utrumque inquisitionem factam, dubitationis aliquid, nostra quidem opinione, subsistat necesse est, quod veremur ut illo ingenio humano penitus tolli possit. Multo saltem certius et multo confidentius ante quod tempus epistola hæc scripta nondum fuerit, necesse sit, quam quo tempore revera scripta sit, pronuntiare licet.

De sectionibus, quæ sequuntur, a xxxiv usque ad xlv, diligenter prorsus et particulariter apud Dissertationes nostras disceptatum est: atque a die profectionis Pauli Philippis, Nisan 22, Martii 27, feria 2, A. D. 56, usque

ad diem primæ ejus coram Felice, procuratore Judææ, constitutionis, Sivan 18, Maii 21, feriam 1, omnia in medio et singula ad epochas suas exacta sunt[b]: de quibus in præsenti nihil omnino retractandum vel mutandum, parum aut nihil supplendum, occurrit.

Constat Cæsarea digressum esse Paulum, de quo §. xl, Sivan 4 feria 1 ineunte, id est Maii 6, die quidem septimo nostro, non autem die sabbati; quod una cum solis occasu, circa 6^h. 41′, P. M. nostram, eo die, exiturum erat: exeunte autem Sivan 5, Maii 8, feria 2, pridie Pentecostes, jam Hierosolymis adfuisse. Quod facile fieri poterat; quoniam a Cæsarea ad Hierosolymam usque, pedibus placide eunti, tridui tantum iter, succincto et expedito, vix bidui. Succinctum autem atque expeditum ultimam hanc itineris sui partem confecisse Paulum, de verbo, *ἀποσκευασάμενοι*, eodem pertinente, colligi potest*; cujus ea vis atque intentio est, ut impedi-

* Hujus vocis sensus ille, de quo loquimur, illustrari potest, proprie quidem et simpliciter, a Plutarcho, apud Dionem, xxvi: *ἀποσκευασάμενος οὖν τὰ περιόντα τῶν ὅπλων καὶ τῶν φορτίων ἐκεῖ, κ᾿, τ. λ.* Pro quo, apud Dionysium Halicarnassensem, in Antiquitatibus suis Romanis, *τὰς ἀποσκευὰς τίθεσθαι*, seu *ἀποτίθεσθαι*, consimili plane sensu usurpatur: verbi gratia, ix. 57, *τὰς ἀποσκευὰς ἔθεντο*: ix. 65, *ἀποθέμενοι σχολῇ τὰς ἀποσκευάς*: ix. 71, *θέμενοι τὰς ἀποσκευὰς ἐπὶ λόφου τινός*. Translate seu metaphorice idem apud Plutarchum occurrit, Moralia, iii. 525, E. Symposiaca, v. Problem. ii. cap. i: *οὐχ ἥκιστα δὲ τὸ τῶν λογογράφων καὶ ποιητῶν ἔθνος ᾤοντο δεῖν ἀποσκευάσασθαι τοῦ ἀγῶνος*: Galba, xiii: *ὅτι τῶν φίλων δύο μόνους τούτους ἀποσκευασάμενος, κ᾿, τ. λ.*

Hujus verbi, in hoc sensu usurpati, contraria prorsus significatio est, vocis *ἀνασκευάσασθαι*: quod etiam apud Dionysium occurrit: x. 21, *οὐ γὰρ ἔφθασαν ἀνασκευασάμενοι τὰ ἐκ τῶν ἀγρῶν*: xi. 2, *ἀλλὰ καὶ τούτων οἱ πλείους ἀνασκευασάμενοι πανοικεσίᾳ*: xi. 15, *ἀλλ᾿ ἀνασκευασάμενος ἅπαντα τὰ ἐμά*: xi. 48, *οὐ γὰρ ἔφθασαν ἀνασκευασάμενοι τὰς ὠφελείας, κ᾿, τ. λ.* Quod igitur apud eundem, ix. 23. editionis Reiskianæ, reperitur, *οὐδὲ γὰρ ἀποσκευάσασθαι δύναμιν ἔσχον οἱ φεύγοντες, ἀλλ᾿ ἀγαπητῶς αὐτὰ τὰ σώματα διέσωσαν, οὐδὲ τὰ ὅπλα πολλοὶ*

[b] Appendix, Dissertatio xix. vol. iv. 189–191. Ibid. Dissertatio xxv. vol. iv. 516–524.

mentorum quocunque modo amolitionem, et si quid itineris expeditioni obfuturum erat, ejusdem, prius quam in viam egrediendum esset, sepositionem notet: quam verbi vim et virtutem versio nostra Anglica hic loci nequaquam qua par erat accuratione expressit.

Ergo, postridie, §. xli. ipso Pentecostes die, Sivan 6, Maii 9, feria 3, ad Jacobum ingressus Paulus. Die crastino, Sivan 7, Maii 10, feria 4, dierum purificationis, una cum Nazaræis illis per septem dies obeundæ, initium fecerit. Quarto ejusdem die, Sivan 10, Maii 13, de quo sectio xlii, adprehensus in Templo a Judæis Asianis est Paulus: quod, tametsi sabbato factum, tamen inclinato in vesperum jam die, et vixdum ante tempus quando templi fores de more sub noctem claudendæ erant, factum, tum ex aliis τῶν κύκλῳ, tum in primis ex Act. xxi. 30. colligere licet. Ergo circa solis occasum adprehensus est Paulus; quod Maii 13, pro climate Judææ, A. D. 56, circa $6^h. 47'$, P. M. nostram excidere debuerit. Idem in caussa vel maxime fuerit, cur, tametsi statim postea a Lysia Judæis ereptus sit, tamen non ante diem posterum ab eodem coram concilio statui potuerit. Nihilo minus tamen, etiam post solis occasum, Maii 13, $6^h. 47'$, P. M. nostram, abunde satis et diei et lucis superfuturum erat, ad omnia ea, quæ adprehensione Pauli posterius quidem in eundem tamen diem cadebant. Nam lucis diurnæ post solis occasum perpetuitas, quod crepusculum dicitur, cujus extremus terminus *prima fax*, hac tempestate, et pro climate Judææ, usque sub $8^h. 30'$, P. M. nostram, id est, horam secundam noctis καιρικὴν exeuntem, et tertiam ineuntem, perventura erat. De plano autem Ægyptio illo, cujus in interro-

φυλάττοντες—nisi sphalma typographicum tantum sit—procul dubio per ἀνασκευάσασθαι, (quam verbi vim contextus orationis necessario flagitat,) corrigendum fuerit.

gatione sua ad Paulum prima meminerit Lysias, dictum est apud Dissertationes nostras [c]: circiter Pascha scilicet proximum, Martii 19–26, Hierosolymis primum adparuisse: postea, Paulo Cæsareæ jam agente, Hierosolymis e regione montis Oliveti iterum adpropinquantem, a Felice obpressum, ac profligatum. Quod verisimillimum judicamus circa festum Scenopegiæ proximum contigisse.

Postridie, Sivan 11, Maii 14, feria 1, coram synedrio constitutus est Paulus, de quo §. xliii: quando et Ananias ab eo objurgatus: de quo, et de Pontificatu apud Judæos nunc cummaxime vacante, unde explananda sunt verba illa Pauli, consulendæ omnino Dissertationes nostræ [d]. Nocte insequenti, visio illa Domini Paulo oblata; de qua §. xliv: et die proximo, Sivan nimirum 12, Maii 15, feria 2, conjuratio in eum Judæorum facta. Qua ad Tribunum delata, e vestigio Paulus ab ipso, militum frequentia stipatus, de hora noctis tertia, quæ alio nomine secunda vigilia militaris appellanda est, Cæsaream ad Procuratorem mittitur. Hora noctis tertia, Maii 15, A. D. 56, cum $8^{h}. 32'. 40''$. P. M. nostra inire, cum $9^{h}. 24'. 30''$. exire debuerit: ἁπλῶς tamen posita, de intervallo illo confecto intelligenda est. Ergo circiter $9^{h}. 24'$. P. M. nostram, de secunda vigilia profectus Paulus, eadem nocte, id est ante solis exortum, $5^{h}. 11'$. A. M. nostram, Maii 16, Antipatridem usque, custodia sua militari universa comitante, reliquum viæ, ab Antipatride Cæsaream usque, equitibus solis stipantibus, deducitur; ubi tamen eodem illo die nullo negotio pervenire poterat: siquidem ab Antipatride Cæsarea vix diei unius justum iter pediti, nedum equiti, distabat. Itaque Sivan 13, Maii 16, feria 3, nondum ad finem saltem perducta,

c Appendix, Diss. xix. vol. iv. 125. d Appendix, Diss. xix. vol. iv. 118–129.

etiamsi ad finem spectaret, procul dubio coram Felice Cæsareæ constitutus est Paulus.

Neque iter illud, ab Hierosolymis Antipatridem usque a militibus Romanis, nocte priore conficiendum, aliquid scrupuli objecerit. Antipatris quidem ab Hierosolymis xxxii millibus passuum Romanorum, et recti itineris, distabat: ab Itinerariis spatium illud etiam xlii millibus æstimatur. Iter autem nocturnum hoc in universum, de secunda vigilia, noctis hora tertia, suscipiendum, ad solis autem ortum, primam diei insequentis horam, si ita libet, terminandum; tamen horis nostris, $7^h. 46'. 30''$, Judaïcis *καιρικαῖς*, et nocturnis, novem, constiterit *. Jam vero illud, secundum Vegetium [e], disciplinæ militaris Romanæ institutum erat, ut horis dumtaxat æstivis quinque, citato gradu, viginti quatuor millia passuum milites pedibus conficere possent. Quare et horis æstivis, tametsi nocturnis, novem, commodiore

* Laterculus Ὡρῶν Καιρικῶν.

Pro meridiano Hierosolymitano.

A solis occasu Maii 15, ad solis exortum Maii 16, A. D. 56.

		°	′	″	
Hora Noctis i	Maii 15	6	49	0	P. M.
ii	— —	7	40	50	
iii	— —	8	32	40	
iv	— —	9	24	30	
v	— —	10	16	20	
vi	— —	11	8	10	
vii	Maii 16	12	0	0	A. M.
viii	— —	12	51	50	
ix	— —	1	43	40	
x	— —	2	35	30	
xi	— —	3	27	20	
xii	— —	4	19	10	
Hora Diei i	Maii 16	5. 11. 0. A. M.			

[e] Vegetius, i. ix. Cf. cap. xxvii.

multo ad ambulandum tempore, serenissima anni tempestate, nulla a tenebris interposita mora, (plenilunio enim mensis Sivan etiam tunc instante, nox tota illustris fuerit necesse est,) equitando quoque fortasse sublevatos, eosdem milites, acri disciplina et diutina consuetudine ad idem exercitatos, xl, vel xlii, confecturos esse si statuatur; sane nihil ultra quod fieri poterat futurum est. Cujusmodi etiam exempla, modo necesse esset, permulta adduci possent *.

Post quinque dies, id est Sivan 18, Maii 21, feria 1, accusatus est coram Felice a primoribus Judæorum Paulus; Tertullo rhetore, tanquam causidico quodam, verba pro illis faciente: de quibus §. xlv. Qui tametsi ipso Sivan 14, Maii 17, feria 4, profecti; tamen, sabbati unius in medio ratione habita, ante diem quartum postea, Sivan 18, Maii 21, feriam 1, Paulum apud Felicem reum peragere non potuissent.

Ab hoc igitur die, *διετία* illa dinumeranda est, de qua §. xlvii: qua et Paulus Cæsareæ apud carcerem agebat, et reliquum tempus procurationis Felicis, ante quam

* De hac quæstione, vide Dissertationes nostras, xxi. vol. ii. 207. Annotata.

Iter expeditum Romanis militibus itineris diurni ordinariæ mensuræ, id est sedecim circiter millium passuum Romanorum, ferme duplum spatium erat. Quadraginta millia passuum, U.C. 815, die uno confecta, memorat Tacitus, Annal. xv. 16. Viriathus iter tridui, jam antea confectum, die uno remensus esse dicitur, apud Frontinum, Strateg. iii. 11. Hadriano Cæsari, (Spartianus, 10.) familiare erat, viginti millia passuum itineris diurni cum militibus armato conficere: expeditionis caussa idem spatium ab eodem duplicari potuisse, nihil est quod dubitemus. Antonius, apud Plutarchum, Vita, xlvii. 240 stadia, 24 millia passuum nostrorum, 30 Romanorum, nocte una cum toto exercitu pertransiisse dicitur. Iter illud nocturnum, de quo Xenophon, Hellen. v. iv. 20, 21. a Sphodria Spartano, a Thespiis ad Piræeum Atheniensem usque, A. CH. N. 378, susceptum, eo consilio susceptum est, ut 40 millia passuum Romanorum, minimum, ante solis exortum sibi conficienda proponeret; quod licet eventu irritum fuerit, tamen fieri per se posse ex ipso conatu efficiendi probatur.

Festum successorem habuerit, confectum est. Quæ quoniam absolute a Divo Luca posita est, secundum morem ejus de biennio integro accipienda.

Igitur circiter eundem diem, mensis Sivan 18, Maii 29, feriam 4, A. D. 58, Festus in provinciam venerit; Felix ab eadem decesserit: de quo §. xlvii. Unde si circa sex septimanas in itinere posuisset, (neque minori temporis dispendio iter ab Italia Judæam usque, etiam verna vel æstiva tempestate, confici solere, nos ipsi collectis exemplis quamplurimis demonstravimus [f],) sub medium Aprilem Roma profectus esset: quod omnino cum regula illa Claudiana, non ita multis retro annis super hac re ipsa constituta, (de profectione scilicet præsidum ab urbe non ultra medium Aprilem differenda,) cujus et nos alibi mentionem fecimus [g], convenerit.

Post tres dies, id est Sivan 22, Junii 2, feria 1, Hierosolymam adscenderit Festus, de quo §. xlviii: ubi Sivan 24, Junii 4, feria 3, perventurus erat. Post undecim minimum dies exactos, §. xlix, Act. xxv. 6, ut nos quidem sensum verborum istorum capimus, id est, Thamuz 7, Junii 16, feria 1, Cæsaream rursus descenderit; comitantibus etiam Judæorum primoribus. Die proximo post adventum, qui quartus profectionis ab Hierosolymis futurus erat, Thamuz nimirum 10, Junii 19, feria 4, tribus jam exactis post ingressum in provinciam septimanis, Paulum pro tribunali et accusatum, et sese defendentem, audierit; de quo etiam §. xlix: atque eodem ipso die, provocatione ad Cæsarem, id est, ad Neronem, qui id temporis Cæsar erat, facta, Romam mittere decreverit.

[f] Vide Diss. vi. vol. i. 306. ix. 347. Appendix, viii. vol. iii. 382–393. [g] Diss. ix. vol. i. 346.

Post hæc omnia, nonnihil temporis Cæsareæ actum est, ante adventum Agrippæ ac Berenices, ad salutandum Festum: et post quam advenerant, aliquantum amplius, eousque dum Pauli audiendi studio se teneri professus est Agrippa: de quibus sectio l. cap. xxv. 13, 14. 22. Dein, postridie, auditus ab Agrippa Paulus, §. li. Quorum omnium cum citimus terminus Thamuz Judaïci 10, Junii Juliani 19, fuerit, vix fieri potuit, nostra quidem opinione, ut ante Ab Judaïci 10, Julii 19, auditus ab Agrippa Paulus sit. Ergo navigatio ipsius in Italiam, quæ post hæc omnia fieri cœpta est, §. lii, vix citerius institui potuerit, quam Elul Judaïco, Augusto Juliano, jam adfecto: quod omnino cum iis convenerit, quæ de hac quæstione, apud Dissertationes nostras, jam antea constituta sunt. Quamobrem, cum de navigatione hac tota diligenter atque accurate apud easdem tractatum a nobis sit, nihil in præsentia præstandum videtur, nisi ut omissa quædam suppleantur; quæ antehac absque auxilio kalendarii alicujus anni sacri commode suppleri nequibant.

Quamvis igitur hujus itineris Ephemeris seu Diarium, a principio usque ad finem, nullo ingenio nostro excogitari possit; tamen de parte ejusdem, ex quo nempe Lasæa profecti in tempestatem inciderint, aliquid ejusmodi, etiam pro singulis diebus, satis feliciter et tentetur et efficiatur licet.

Nam primo, citius profectionem illam quam τῆς νηστείας, seu jejunii, die, id est quam Tisri Judaïci 10, Septembris 16, feria 2, A. D. 58, non contigisse, ex Act. xxvii. 9. patet. Sed et multo serius factam esse, longe verisimilius. Nam Lasæam jam antea adpulerant, non temporariæ cujusdam moræ, sed hiemandi, caussa: et si exinde postea solverint, non itineris continuandi,

sed commodiorem ad hibernandum portum, Phœnicem nomine, qui, ad australem Cretæ partem occidentem versus situs, non nisi noto spirante e Lasæa adiri poterat, nanciscendi gratia, id fiebat. Jam vero ab æquinoctio auctumnali usque, id est a Septembris 24, clausum mare. Itaque post Septembris 24, apud Lasæam, hiemandi gratia, Paulus et comites ejus. Mox, hibernorum mutandorum ergo, non nisi aliquantum postea, Phœnicem versus exinde provecti sunt.

De qua provectione, ex ipso narrationis contextu colligatur licet, inclinato jam ad vesperum die, utique post meridiem, institutam esse; sub noctem, turbinem illum, Euroclydonti vento acceptum ferendum, jam navigantibus ingruisse: sicuti exinde inferendum est, quod diarium jactatæ postea in pelago navis a noctibus, non autem a diebus, procedat: xxvii. 23. 27. 29. 33. 39. Itaque die quodam exeunte, seu potius instante cummaxime nocte, post occasum saltem solis, jactari cœpta est navis: decimoquarto postea die, post factum mane, utique ante meridiem, in Meliten insulam ejecta.

De epocha hujus ejectionis, certissima, ut nobis videtur, e xxviii. 11, apud §. liv, conjectura erui potest. Per tres etenim postea menses, mora illa apud Meliten continuata est: id est, secundum idioma Divi Lucæ, per tres menses justos. Ergo diebus lxxxix, vel xc, pro re nata æstimanda fuerit. Ante tamen apertum rursus, proximo anno, mare, id est ante Februarii 9, resumta maturius navigatione, ad finem perducta esse non potuit. Undenonaginta autem diebus a Februarii 9, A. D. 59, retro computatis, ad Novembris 12, A. D. 58, revolutus fueris. Unde proclivis et facilis et pæne necessaria conjectura, circiter Novembris 12 naufragium in insulam factum esse; quod mirum in modum ad conclu-

siones nostras, jam antea apud Dissertationes nostras positas, quadrarit.

Etenim ex ipsa cæli temperie, atque aëris per tam multos dies statu, tanquam signo et criterio quodam sua sponte certissimo, occurrerat nobis suspicari, quo tempore hæc cummaxime fierent, famosæ illius et periculosæ admodum navigantibus apud antiquos tempestatis, Πλειάδος scilicet δυομένης, sive Vergiliarum occasus matutini, statum et solennem articulum instare. Et hæc quidem tempestas in priscis Parapegmatis varie, si quid aliud, notata est. A Democrito enim, Octobris 30, ab Euctemone, Novembris 10, a Calippo, Novembris 11, ab Eudoxo, Novembris 14, a Varrone, Octobris 28, a Columella, Octobris 20, et 24, et 28, et Novembris 8, a Cæsare, apud Plinium, Novembris 11, ab Aëtio, Octobris 23 et Novembris 6, ab aliis, Octobris 24, et Novembris 1, et Novembris 2, et Novembris 7, et Novembris 13, prodita exstat. Ab nemine tamen in exitum Octobris vel in principium Novembris non conjicitur. Et revera, hoc in primis tempore, vel exeunte Octobri vel ineunte Novembri Juliano, de more constituenda erat. Unde, prognostico inde ducto, turbinem hunc, circa eandem in genere anni tempestatem sine dubio objectum, sub initium Novembris, statam illam Πλειάδος δυομένης apud annum vertentem tempestatem, cummaxime ingruisse, perquam probabile fit.

Sed notabilis in primis temporis ejusdem character exstat; qui xxvii. 20, de tertio post inchoatam tempestatem die primum positus, in plures postea dies ipso teste continuandus est. Nimirum de luna silentium ibi vel maximum est; etsi et solis et siderum mentio, (quæ multo minus *a priori* exspectanda erat,) verbis conceptis facta sit. Quod nobis quidem judicibus satis

clare innuere videtur, quo tempore hæc gerebantur, *silentem* cummaxime lunam, id est *interlunium quoddam*, fuisse *.

Pro rationibus nostris, dies quidam circa principium Novembris hic designatus sit, necesse est. Calculis igitur initis, constabit, novilunium verum, pro meridiano insulæ Melites antiquæ, *Maltæ* autem hodiernæ, A. D. 58, Novembris 4, quadrante ferme horæ ante mediam noctem commissum esse; quæ etiam, uti ex kalendario nostro patebit, Chisleu Judaïci neomenia futura erat, ab hora sexta pomeridiana ineuntis. Non sine

* Intervallum illud, quod inter ultimam lunæ veteris, primam autem novæ, oculis manifestationem de more obtinet; eleganti metaphora, tum apud Græcos tum apud Latinos, *Lunæ silentium*, dicitur: frequentiore tamen apud Romanos, quam apud Græcos, scriptores ejusdem metaphoræ usu. Hinc enim apud Catonem, De Re Rustica, xxix: Evehito *luna silenti*, de stercore scilicet intelligendum: xl: Ficos, oleas, mala, pira, vites inseri oportet *luna silenti* post meridiem: l: Prata primo vere stercorato *luna silenti*: et apud Columellam, ii. x. §. 12: *Silente luna* fabam vellito ante lucem: apud Plinium, H. N. xvi. 74, de materiæ cædendæ tempore: Inter omnes vero convenit, utilissime in coitu ejus (*lunæ* scilicet) sterni, quem diem alii *interlunii*, alii *silentis lunæ*, appellant: xviii. 74: A Fiduculæ autem occasu, viciam, faseolos, pabulum (seri): hoc *silente luna* seri jubetur. Rursus, Hoc et defrutum coquendi *silente luna* noctu, &c. Et ne plura commemoremus, hinc etiam forsan explanandum Virgilianum illud, Æneid. ii. 255:

Tacitæ per amica *silentia* lunæ.

Etsi a Servio de septima potius luna intellectum est; et de vicesima altera vel vicesima tertia intelligatur licet.

Intervallum autem illud, quod sive interlunium sive lunæ silentium singulis mensibus appelletur nihil interest, Sotion, apud Geoponicos Scriptores, i. 13: v. 10: vii. 6: ab undetricesima luna, usque ad secundam, utramque inclusive sumtam, circumscribit: Theophrastus autem, De Signis Pluviarum, *ἀπὸ τετράδος φθίνοντος μέχρι τετράδος ἱσταμένου*, id est, a vicesima septima luna usque ad quartam. Idem etiam et loco citato, et De Ventis scribens, synodos mensium, id est conjunctionis solis et lunæ statos dies, tempestatis ratione, maxime incertos, et mutationi maxime obnoxios, usu fieri, (cum multis aliis qui de rebus iisdem aliquid memoriæ prodiderunt) observavit.

caussa igitur Divus Lucas nullam lunæ, qualem et solis et siderum, nunc ipsum mentionem fecerit: quippe quæ neque interdiu, neque noctu, etiamsi cæli ac tempestatis ratio non obstitisset, id temporis tamen oculis oblata esse potuisset. Memoratu porro dignum, hujus ipsius lunæ plenilunium eclipticum fuisse: Tabulæ enim Astronomicæ, pro meridiano Lutetiæ Parisiorum, A. D. 58, lunæ eclipsin Novembris 19, horæ semisse post mediam noctem, notatam habent: quo tamen tempore Paulus jam diem octavum apud Meliten agebat *.

* Exstat apud Plinium, Historia Naturalis, ii. 10, hujusmodi locus, ubi de sole et luna disserens, ait; Nam ut quindecim diebus utrumque sidus quæreretur et nostro ævo accidit, Imperatoribus Vespasianis, patre iv filio iterum, consulibus. Ubi, pro *quindecim*, varie legitur, *duodecim;* de anno nihil variatum. Ergo annus ille, Coss. Vespas. iv, Tito ii, id est A. D. 72.

Harduinus hunc locum ita intellexit, ac si dicere voluisset, eclipsin et solis et lunæ eodem isto anno, quasi continuam factam esse; atque ingentem hallucinationem vocat, sensum eorum aliter accipere. Itaque illud, *ut quæreretur,* tanquam *ut desideraretur*, interpretatus est; τὸ *quindecim* autem *diebus*, tanquam *intra quindecim dies*, accepit. Idem eclipsin solis Februarii 8, et eclipsin lunæ Februarii 22, A. D. 72, reperire satagit: e quibus, prior ac solaris, Februarii 8, A. D. 72, secundum Tabulas Astronomicas, nulla exstat; eclipsis lunæ, Februarii 22, revera facta est; sed ad 9^h, A. M. pro meridiano Parisiano, et propterea circiter $9^h. 43'$ pro meridiano Romæ.

Duplices tamen eclipses illæ, intra quatuordecim vel quindecim ab invicem dies commissæ, adeo pæne, in rebus ejusmodi, tritæ ac vulgares sunt, ut vix satis dignæ videri possint, de quibus mentio ulla expresse fiat. Periculo siquidem facto, ab anno 72 ad annum 77, quando hoc opus Plinii conditum est, tantum, per quinque scilicet proximos annos, idem illud quinquies repetitum deprehendetur: A. D. 72, solis defectu, Augusti 2, lunæ, Augusti 17: A. D. 73, solis, Julii 23, lunæ, Augusti 6: A. D. 74 et 75, lunæ, Decembris 22, solis, Januarii 5: A. D. 75, lunæ, Decembris 11, solis, Decembris 26: A. D. 76, solis, Maii 21, lunæ, Junii 5.

Simplex et verus horum verborum sensus, nobis judicibus, idem ille est, quem Harduinus magnam hallucinationem vocat; nempe, quod anno isto, diebus, sive duodecim sive quindecim,

A. D. 58, Novembris 12 in Chisleu 8 incurrit: tribus autem mensibus postea, A. D. 59, Februarii 9 in Adar 9. Unde omnino probabile judicamus, naufragium Pauli ipso illo Chisleu 8, Novembris 12, contigisse. Inde cetera parem ad rationem adornanda.

Marchesvan scilicet Judaïci 24, Octobris 29, feria 3, post meridiem, e Lasæa solverint. Eodem die, sub noctem, Octobris etiamnum 29, Marchesvan autem 25 feria 4 ineunte, in turbinem primum inciderint. Deinde ἡ ἑξῆς, xxvii. 18, Marchesvan 25, Octobris 30, feria 4. Mox ἡ τρίτη, xxvii. 19, Marchesvan 26, Octobris 31, feria 5. Dein, multorum dierum illunis illa tempestas, xxvii. 20; nimirum ipso Novembris 4, Chisleu 1 ineunte, luna nova futura. Mox visio Paulo nocte quadam oblata, xxvii. 21–26, de qua incertum; nisi quod spectante ad finem jactatione navis, et forsitan ipso Chisleu 7, Novembris 11, feria 2, pridie ejectionis, probabiliter admodum statuenda. Inde quartadecima nox, xxvii. 27, hunc ipsum diem insecuta; Novembris scilicet 11, Chisleu tamen 8, feria 3, utraque ineunte. Mox et quartusdecimus dies; quando et naufragium tandem, circiter mane potissimum diei, uti ex xxvii. 27. 29. 33. 39, colligi potest, factum est; ejecta in litus nave. Dies ille Chisleu 8, Novembris 12, feria 3. Ita tres illi dies, quibus hospitio omnes a Publio excepti sunt, quo-

utrumque sidus, id est, tum sol, tum luna, *quærebatur* quidem, sed non *reperiebatur;* id est, totis, vel duodecim vel quindecim, diebus nusquam apparebat. Quod virtute tempestatis accidisse, turbidæ cujusdam illius, ultra solitum, et tenebricosæ, nemo dubitaverit. En igitur περίστασις quædam de tempestate, hujus Lucæ, apud Actus, A. D. 58, 14 postea annis, Romæ plane germana et consimilis. Et quemadmodum illa, A. D. 58, exeunte Octobri, ineunte Novembri, luna nova, Vergiliis occidentibus, contigisse videtur, ita et A. D. 72 idem excidere poterat: nam tunc quoque Octobris 30 vel 31 luna nova; πλειάδος autem δυομένης stata tempestas eadem prorsus atque antea futura erat.

rum etiam uno, (et nescimus an primo,) Paulus patrem ejusdem decumbentem sanaverit, de quibus §. liii, Chisleu 8, 9, 10, Novembris 12, 13, 14, feria 3, 4, 5 fuerint; nisi si quis ultimum eorundem diem ad Chisleu 11, Novembris 15, feriam 6, potius constituere malit.

De insula autem ipsa, quod eadem fuerit, quæ hodie Malta, non quæ hodie Meleda, in intimo maris Adriatici sinu sita, multis argumentis apud Dissertationes nostras confirmatum exstat [h]. Ergo post tres menses lunares et solidos, dies undenonaginta exactos, idem itineris Paulo Romam versus repetendi tempus, quod et maris quam primum aperiendi; scilicet ipse Adar 9, Februarii 9, feria 1: de quo §. liv. Ab hoc die facilis et proclivis, eousque dum Romam tandem adventum est, epocharum constitutio.

Scilicet eodem die a Melite Syracusas delati sunt: neque enim diei unius navigatione ab invicem distabant. Exin die quarto, Adar 13, Februarii 13, feria 5, solventes rursus, Rhegium adpulsi. Ibi diem unum posuerint, Adar nimirum 14, Februarii 14, feriam 6. Post duos dies, id est Adar 16, Februarii 16, feria 1, e Rhegio Puteolos seu Dicæarchiam provecti sunt. Communis hic ex Asia in Italiam navigantium portus. Igitur exscensa ibidem nave, reliquum itineris Romam usque, quæ a Puteolis sex ferme dierum itinere distabat, Paulo pedibus conficiendum erat.

Puteolis septem dies, ab Adar scilicet 16, Februarii 16, feria 1, ad Adar usque 23, Februarii 23, feriam 1, positi sunt; de quibus et illud notandum: his diebus et fratres apud Romam, de Pauli adventu certiores factos esse; unde ad Tres Tabernas usque, atque Appii Forum,

[h] Dissertatio ii vol. i. 184, et sqq.

ipsi in dies adventanti obviam futuri, ferme bidui iter[1] jam antea progressi esse poterant. Ita post quinque dies, Adar 28, Februarii 28, feria 6, a Puteolis Romam tandem perventum est: ubi et Paulus Præfecto Prætorii Neroniani, qui id temporis Burrus erat, eodem illo die a centurione Julio procul dubio traditus est.

Itaque post tres dies, Adar scilicet 30, Martii 2, feria 1, quum primum salva sabbati religione poterat, principes Judæorum ad se in conductum suum convocandos curaverit; de quo §. lv: et caussam suam iisdem exposuerit. Deinde, præstituto ex convento die, quem nos quidem Veadar 6, Martii 8, feriam 7, id est sabbatum proxime futurum, fuisse probabile admodum judicamus; iisdem, ex Veteris Testamenti SS. a mane usque ad vesperum, de fide in Christum disseruerit; eousque dum omnes, partim persuasi ab iis quæ dicta erant, partim minus, abierint.

De sectione lvi, quæ Actuum Historiam claudit; biennium illud mansionis Pauli apud se, atque in conducto suo, absolute a Divo Luca positum, biennium integrum intelligatur oportet. Ergo ab Adar 28, Februarii 28, feria 6, A. D. 59, inchoandum, ad Adar 26, Martii 6, feriam 1, A. D. 61, saltem continuandum fuerit. Hæc igitur epocha liberationis Pauli; ferme ad diem eadem, quæ et Romam delati, atque ibidem primum in custodiam traditi, ante biennium fuerat. Qui notabilis in primis casus.

De reliquo historiæ Paulinæ, quod ùltra quinque annos ab hoc usque tempore excurrit, silent Actus: si

[1] Vide Dissertationem ii. vol. i. 188, notam.

quid ipsi colligere potuimus, id omne in Dissertationes nostras conjectum est[k]: unde apparebit, secundum rationes nostras, quas regiones inviserit sanctus ille Apostolus, Evangelium prædicandi caussa, eousque dum secunda vice Romam in vinculis missus sit; et quibus e locis, quibusque temporibus, de quatuordecim suis Epistolis, eas quæ supersunt scripserit; Epistolam nempe ad Hebræos, Epistolam ad Titum, Epistolam ad Timotheum Primam, et Epistolam ad Timotheum Secundam. Nam Epistola ad Ephesios, Epistola ad Colossenses, Epistola ad Philippenses, atque Epistola ad Philemonem, quarum solarum præterea nulla superius mentio a nobis facta est, labente biennio illo moræ apud Romam continuæ, et quidem anno ejusdem secundo, (id quod a nobis in Dissertationibus toties laudatis abunde confirmatum est,) jam antea scriptæ erant.

Quod ad historiam etiam Divi Petri residuam, et quod ad tempus et locum Secundæ ipsius Epistolæ; sententia nostra apud Dissertationes nostras[l] satis indicatur. Utrumque martyrio quidem, et sub Nerone Cæsare, atque apud urbem Romam, cursum suum consummasse, constans et vetus traditio est: num vero eodem anno, atque eodem anni die, quod etiam traditum, nondum nobis liquet.

Quod ad annum, si judicium ferri placet; verisimillimum nobis videtur, Petrum A. D. 65, Paulum A. D. 66, testimonium supremum suum reddidisse: quibus autem de caussis ita videatur, fusius et prolixius alibi disceptatum est. De die vero, qui dies ad iii kal. Julias, Junii 29, constitutus proditur; de Petro crediderimus, potius quam de Paulo: Petri enim memoriam, jam inde a

[k] Appendix, xix. vol. iv. Pars i. 217–258. [l] Dissertatio ii. vol. i. 157–160. 166–168. Appendix, xix. vol. iv. Pars i. loco cit.

principio, Christi Ecclesia illo ipso die recolere solita est; Paulus autem, si supremis ipsius ad Timotheum verbis testimonio uti licet, postquam jam Romam in vinculis perductus, et jam semel coram Nerone vel Helio constitutus erat, tamen usque sub exitum æstatis ejusdem destinatam martyrio suo προθεσμίαν dilatum iri, animo tanquam præsagivisse videtur: unde Timotheo scribens, atque ad se festinaret rogans, *ante hiemem* tantum conveniendi sui rationem diligenter haberet, monet.

Utcunque hæc res se habuerit; unum ulterius, eodem pertinens, tantum monebimus: a. d. iii kal. Julias, A. D. 65, in Thamuz Judaïci 7, feriam 2, incidisse, A. D. 66, in Thamuz Judaïci 18, feriam 3.

Kalendarium anni sacri. *Tabula* I.

Periodus i. *Cyclus* ii.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
3	i	3203	2494	1511	A	Apr. 7	Fer. 6	Apr. 21	Fer. 6	Jun. 11	Fer. 1	Oct. 16	Fer. 2
4	ii	04	95	1510	G	Mar. 27	3	10	3	Mai. 31	5	5	6
5	*iii	05	96	09	*F E	16	1	Mar. 30	1	20	3	Sept. 24	4
6	iv	06	97	08	D	Apr. 4	7	Apr. 18	7	Jun. 8	2	Oct. 13	3
ii	*v	07	98	07	C	Mar. 24	4	7	4	Mai. 28	6	2	7
1	vi	08	99	06	B	Apr. 12	3	26	3	Jun. 16	5	21	6
2	vii	09	2500	05	*A G	1	1	15	1	5	3	10	4
3	*viii	3210	01	04	F	Mar. 21	5	4	5	Mai. 25	7	Sept. 29	1
4	ix	11	02	03	E	Apr. 9	4	23	4	Jun. 13	6	Oct. 18	7
5	x	12	03	02	D	Mar. 29	1	12	1	2	3	7	4
6	*xi	13	04	01	*C B	18	6	1	6	Mai. 22	1	Sept. 26	2
iii	xii	14	05	1500	A	Apr. 6	5	20	5	Jun. 10	7	Oct. 15	1
1	*xiii	15	06	1499	G	Mar. 26	2	9	2	Mai. 30	4	4	5
2	xiv	16	07	98	F	Apr. 14	1	28	1	Jun. 18	3	23	4
3	xv	17	08	97	*E D	3	6	17	6	7	1	12	2
4	*xvi	18	09	96	C	Mar. 23	3	6	3	Mai. 27	5	1	6
5	xvii	19	2510	95	B	Apr. 11	2	25	2	Jun. 15	4	20	5
6	xviii	3220	11	94	A	Mar. 31	6	14	6	4	1	9	2
iv	*xix	3221	2512	1493	*G F	20	4	3	4	Mai. 24	6	Sept. 28	7

Kalendarium anni sacri. *Tabula* II.

Periodus i. *Cyclus* iii.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
iv. 1	i	3222	2513	1492	E	Apr. 7	Fer. 2	Apr. 21	Fer. 2	Jun. 11	Fer. 4	Oct. 16	Fer. 5
2	ii	23	14	91	D	Mar. 27	6	10	6	Mai. 31	1	5	2
3	*iii	24	15	1490	C	16	3	Mar. 30	3	20	5	Sept. 24	6
4	iv	25	16	89	*B A	Apr. 4	3	Apr. 18	3	Jun. 8	5	Oct. 13	6
5	*v	26	17	88	G	Mar. 24	7	7	7	Mai. 28	2	2	3
6	vi	27	18	87	F	Apr. 12	6	26	6	Jun. 16	1	21	2
v	vii	28	19	86	E	1	3	15	3	5	5	10	6
1	*viii	29	2520	85	*D C	Mar. 21	1	4	1	Mai. 25	3	Sept. 29	4
2	ix	3230	21	84	B	Apr. 9	7	23	7	Jun. 13	2	Oct. 18	3
3	x	31	22	83	A	Mar. 29	4	12	4	2	6	7	7
4	*xi	32	23	82	G	18	1	1	1	Mai. 22	3	Sept. 26	4
5	xii	33	24	81	*F E	Apr. 6	1	20	1	Jun. 10	3	Oct. 15	4
6	*xiii	34	25	1480	D	Mar. 26	5	9	5	Mai. 30	7	4	1
vi	xiv	35	26	79	C	Apr. 14	4	28	4	Jun. 18	6	23	7
1	xv	36	27	78	B	3	1	17	1	7	3	12	4
2	*xvi	37	28	77	*A G	Mar. 23	6	6	6	Mai. 27	1	1	2
3	xvii	38	29	76	F	Apr. 11	5	25	5	Jun. 15	7	20	1
4	xviii	39	2530	75	E	Mar. 31	2	14	2	4	4	9	5
5	*xix	3240	2531	1474	D	20	6	3	6	Mai. 24	1	Sept. 28	2

Kalendarium anni sacri. *Tabula* III.

Periodus i. *Cyclus* iv.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
vi. 6	i	3241	2532	1473	*C B	Apr. 7	Fer. 5	Apr. 21	Fer. 5	Jun. 11	Fer. 7	Oct. 16	Fer. 1
vii	ii	42	33	72	A	Mar. 27	2	10	2	Mai. 31	4	5	5
1	*iii	43	34	71	G	16	6	Mar. 30	6	20	1	Sept. 24	2
2	iv	44	35	1470	F	Apr. 4	5	Apr. 18	5	Jun. 8	7	Oct. 13	1
3	*v	45	36	69	*E D	Mar. 24	3	7	3	Mai. 28	5	2	6
4	vi	46	37	68	C	Apr. 12	2	26	2	Jun. 16	4	21	5
5	vii	47	38	67	B	1	6	15	6	5	1	10	2
6	*viii	48	39	66	A	Mar. 21	3	4	3	Mai. 25	5	Sept. 29	6
viii	ix	49	2540	65	*G F	Apr. 9	3	23	3	Jun. 13	5	Oct. 18	6
1	x	3250	41	64	E	Mar. 29	7	12	7	2	2	7	3
2	*xi	51	42	63	D	18	4	1	4	Mai. 22	6	Sept. 26	7
3	xii	52	43	62	C	Apr. 6	3	20	3	Jun. 10	5	Oct. 15	6
4	*xiii	53	44	61	*B A	Mar. 26	1	9	1	Mai. 30	3	4	4
5	xiv	54	45	1460	G	Apr. 14	7	28	7	Jun. 18	2	23	3
6	xv	55	46	59	F	3	4	17	4	7	6	12	7
ix	*xvi	56	47	58	E	Mar. 23	1	6	1	Mai. 27	3	1	4
1	xvii	57	48	57	*D C	Apr. 11	1	25	1	Jun. 15	3	20	4
2	xviii	58	49	56	B	Mar. 31	5	14	5	4	7	9	1
3	*xix	3259	2550	1455	A	20	2	3	2	Mai. 24	4	Sept. 28	5

Kalendarium anni sacri. Tabula IV.

Periodus i. Cyclus v.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
ix. 4	i	3260	2551	1454	G	Apr. 7	Fer. 7	Apr. 21	Fer. 7	Jun. 11	Fer. 2	Oct. 16	Fer. 3
5	ii	61	52	53	*F E	Mar. 27	5	10	5	Mai. 31	7	5	1
6	*iii	62	53	52	D	16	2	Mar. 30	2	20	4	Sept. 24	5
x	iv	63	54	51	C	Apr. 4	1	Apr. 18	1	Jun. 8	3	Oct. 13	4
1	*v	64	55	1450	B	Mar. 24	5	7	5	Mai. 28	7	2	1
2	vi	65	56	49	*A G	Apr. 12	5	26	5	Jun. 16	7	21	1
3	vii	66	57	48	F	1	2	15	2	5	4	10	5
4	*viii	67	58	47	E	Mar. 21	6	4	6	Mai. 25	1	Sept. 29	2
5	ix	68	59	46	D	Apr. 9	5	23	5	Jun. 13	7	Oct. 18	1
6	x	69	2560	45	*C B	Mar. 29	3	12	3	2	5	7	6
xi	*xi	3270	61	44	A	18	7	1	7	Mai. 22	2	Sept. 26	3
1	xii	71	62	43	G	Apr. 6	6	20	6	Jun. 10	1	Oct. 15	2
2	*xiii	72	63	42	F	Mar. 26	3	9	3	Mai. 30	5	4	6
3	xiv	73	64	41	*E D	Apr. 14	3	28	3	Jun. 18	5	23	6
4	xv	74	65	1440	C	3	7	17	7	7	2	12	3
5	*xvi	75	66	39	B	Mar. 23	4	6	4	Mai. 27	6	1	7
6	xvii	76	67	38	A	Apr. 11	3	25	3	Jun. 15	5	20	6
xii	xviii	77	68	37	*G F	Mar. 31	1	14	1	4	3	9	4
1	*xix	3278	2569	1436	E	20	5	3	5	Mai. 24	7	Sept. 28	1

Kalendarium anni sacri. *Tabula* V.

Periodus i. *Cyclus* vi.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xii. 2	i	3279	2570	1435	D	Apr. 7	Fer. 3	Apr. 21	Fer. 3	Jun. 11	Fer. 5	Oct. 16	Fer. 6
3	ii	3280	71	34	C	Mar. 27	7	10	7	Mai. 31	2	5	3
4	*iii	81	72	33	*B A	16	5	Mar. 30	5	20	7	Sept. 24	1
5	iv	82	73	32	G	Apr. 4	4	Apr. 18	4	Jun. 8	6	Oct. 13	7
6	*v	83	74	31	F	Mar. 24	1	7	1	Mai. 28	3	2	4
xiii	vi	84	75	1430	E	Apr. 12	7	26	7	Jun. 16	2	21	3
1	vii	85	76	29	*D C	1	5	15	5	5	7	10	1
2	*viii	86	77	28	B	Mar. 21	2	4	2	Mai. 25	4	Sept. 29	5
3	ix	87	78	27	A	Apr. 9	1	23	1	Jun. 13	3	Oct. 18	4
4	x	88	79	26	G	Mar. 29	5	12	5	2	7	7	1
5	*xi	89	2580	25	*F E	18	3	1	3	Mai. 22	5	Sept. 26	6
6	xii	3290	81	24	D	Apr. 6	2	20	2	Jun. 10	4	Oct. 15	5
xiv	*xiii	91	82	23	C	Mar. 26	6	9	6	Mai. 30	1	4	2
1	xiv	92	83	22	B	Apr. 14	5	28	5	Jun. 18	7	23	1
2	xv	93	84	21	*A G	3	3	17	3	7	5	12	6
3	*xvi	94	85	1420	F	Mar. 23	7	6	7	Mai. 27	2	1	3
4	xvii	95	86	19	E	Apr. 11	6	25	6	Jun. 15	1	20	2
5	xviii	96	87	18	D	Mar. 31	3	14	3	4	5	9	6
6	*xix	3297	2588	1417	*C B	20	1	3	1	Mai. 24	3	Sept. 28	4

Kalendarium anni sacri. *Tabula* VI.

Periodus i. *Cyclus* vii.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J.P.	A. M.	A. C	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xv	i	3298	2589	1416	A	Apr. 7	Fer. 6	Apr. 21	Fer. 6	Jun. 11	Fer. 1	Oct. 16	Fer. 2
1	ii	99	2590	15	G	Mar. 27	3	10	3	Mai. 31	5	5	6
2	*iii	3300	91	14	F	16	7	Mar. 30	7	20	2	Sept. 24	3
3	iv	01	92	13	*E D	Apr. 4	7	Apr. 18	7	Jun. 8	2	Oct. 13	3
4	*v	02	93	12	C	Mar. 24	4	7	4	Mai. 28	6	2	7
5	vi	03	94	11	B	Apr. 12	3	26	3	Jun. 16	5	21	6
6	vii	04	95	1410	A	1	7	15	7	5	2	10	3
xvi	*viii	05	96	09	*G F	Mar. 21	5	4	5	Mai. 25	7	Sept. 29	1
1	ix	06	97	08	E	Apr. 9	4	23	4	Jun. 13	6	Oct. 18	7
2	x	07	98	07	D	Mar. 29	1	12	1	2	3	7	4
3	*xi	08	99	06	C	18	5	1	5	Mai. 22	7	Sept. 26	1
4	xii	09	2600	05	*B A	Apr. 6	5	20	5	Jun. 10	7	Oct. 15	1
5	*xiii	3310	01	04	G	Mar. 26	2	9	2	Mai. 30	4	4	5
6	xiv	11	02	03	F	Apr. 14	1	28	1	Jun. 18	3	23	4
xvii	xv	12	03	02	E	3	5	17	5	7	7	12	1
1	*xvi	13	04	01	*D C	Mar. 23	3	6	3	Mai. 27	5	1	6
2	xvii	14	05	1400	B	Apr. 11	2	25	2	Jun. 15	4	20	5
3	xviii	15	06	1399	A	Mar. 31	6	14	6	4	1	9	2
4	*xix	3316	2607	1398	G	20	3	3	3	Mai. 24	5	Sept. 28	6

Kalendarium anni sacri. *Tabula* VII.

Periodus i. *Cyclus* viii.

Neomeniæ Paschales, Martii 16, *Aprilis* 14. *Termini Paschales, Martii* 30, *Aprilis* 28.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xvii. 5	i	3317	2608	1397	*F E	Apr. 7	Fer. 2	Apr. 21	Fer. 2	Jun. 11	Fer. 4	Oct. 16	Fer. 5
6	ii	18	09	96	D	Mar. 27	6	10	6	Mai. 31	1	5	2
xviii	*iii	19	2610	95	C	16	3	Mar. 30	3	20	5	Sept. 24	6
1	iv	3320	11	94	B	Apr. 4	2	Apr. 18	2	Jun. 8	4	Oct. 13	5
2	*v	21	12	93	*A G	Mar. 24	7	7	7	Mai. 28	2	2	3
3	vi	22	13	92	F	Apr. 12	6	26	6	Jun. 16	1	21	2
4	vii	23	14	91	E	1	3	15	3	5	5	10	6
5	*viii	24	15	1390	D	Mar. 21	7	4	7	Mai. 25	2	Sept. 29	3
6	ix	25	16	89	*C B	Apr. 9	7	23	7	Jun. 13	2	Oct. 18	3
xix	x	26	17	88	A	Mar. 29	4	12	4	2	6	7	7
1	*xi	27	18	87	G	18	1	1	1	Mai. 22	3	Sept. 26	4
2	xii	28	19	86	F	Apr. 6	7	20	7	Jun. 10	2	Oct. 15	3
3	*xiii	29	2620	85	*E D	Mar. 26	5	9	5	Mai. 30	7	4	1
4	xiv	3330	21	84	C	Apr. 14	4	28	4	Jun. 18	6	23	7
5	xv	31	22	83	B	3	1	17	1	7	3	12	4
6	*xvi	32	23	82	A	Mar. 23	5	6	5	Mai. 27	7	1	1
xx	xvii	33	24	81	*G F	Apr. 11	5	25	5	Jun. 15	7	20	1
1	xviii	34	25	1380	E	Mar. 31	2	14	2	4	4	9	5
2	*xix	3335	2626	1379	D	20	6	3	6	Mai. 24	1	Sept. 28	2

Kalendarium anni sacri. *Tabula* VIII.

Periodus i. *Cyclus* ix.

Neomeniæ Paschales, Martii 15, *Aprilis* 13. *Termini Paschales, Martii* 29, *Aprilis* 27.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xx. 3	i	3336	2627	1378	C	Apr. 7	Fer. 4	Apr. 21	Fer. 4	Jun. 11	Fer. 6	Oct. 16	Fer. 7
4	ii	37	28	77	*B A	Mar. 27	2	10	2	Mai. 31	4	5	5
5	*iii	38	29	76	G	16	6	Mar. 30	6	20	1	Sept. 24	2
6	iv	39	2630	75	F	Apr. 4	5	Apr. 18	5	Jun. 8	7	Oct. 13	1
xxi	*v	3340	31	74	E	Mar. 24	2	7	2	Mai. 28	4	2	5
1	vi	41	32	73	*D	Apr. 12	1	26	1	Jun. 16	3	21	4
2	vii	42	33	72	C	1	5	15	5	5	7	10	1
3	*viii	43	34	71	B	Mar. 21	2	4	2	Mai. 25	4	Sept. 29	5
4	ix	44	35	1370	A	Apr. 9	1	23	1	Jun. 13	3	Oct. 18	4
5	x	45	36	69	*G F	Mar. 29	6	12	6	2	1	7	2
6	*xi	46	37	68	E	18	3	1	3	Mai. 22	5	Sept. 26	6
xxii	xii	47	38	67	D	Apr. 6	2	20	2	Jun. 10	4	Oct. 15	5
1	xiii	48	39	66	C	Mar. 26	6	9	6	Mai. 30	1	4	2
2	*xiv	49	2640	65	*B A	15	4	Mar. 29	4	19	6	Sept. 23	7
3	xv	3350	41	64	G	Apr. 3	3	Apr. 17	3	Jun. 7	5	Oct. 12	6
4	*xvi	51	42	63	F	Mar. 23	7	6	7	Mai. 27	2	1	3
5	xvii	52	43	62	E	Apr. 11	6	25	6	Jun. 15	1	20	2
6	xviii	53	44	61	*D C	Mar. 31	4	14	4	4	6	9	7
xxiii	*xix	3354	2645	1360	B	20	1	3	1	Mai. 24	3	Sept. 28	4

Kalendarium anni sacri. *Tabula* IX.

Periodus i. *Cyclus* x.

Neomeniæ Paschales, Martii 15, *Aprilis* 13. *Termini Paschales, Martii* 29, *Aprilis* 27.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xxiii. 1	i	3355	2646	1359	A	Apr. 7	Fer. 6	Apr. 21	Fer. 6	Jun. 11	Fer. 1	Oct. 16	Fer. 2
2	ii	56	47	58	G	Mar. 27	3	10	3	Mai. 31	5	5	6
3	*iii	57	48	57	*F E	16	1	Mar. 30	1	20	3	Sept. 24	4
4	iv	58	49	56	D	Apr. 4	7	Apr. 18	7	Jun. 8	2	Oct. 13	3
5	*v	59	2650	55	C	Mar. 24	4	7	4	Mai. 28	6	2	7
6	vi	3360	51	54	B	Apr. 12	3	26	3	Jun. 16	5	21	6
xxiv	vii	61	52	53	*A G	1	1	15	1	5	3	10	4
1	*viii	62	53	52	F	Mar. 21	5	4	5	Mai. 25	7	Sept. 29	1
2	ix	63	54	51	E	Apr. 9	4	23	4	Jun. 13	6	Oct. 18	7
3	x	64	55	1350	D	Mar. 29	1	12	1	2	3	7	4
4	*xi	65	56	49	*C B	18	6	1	6	Mai. 22	1	Sept. 26	2
5	xii	66	57	48	A	Apr. 6	5	20	5	Jun. 10	7	Oct. 15	1
6	xiii	67	58	47	G	Mar. 26	2	9	2	Mai. 30	4	4	5
xxv	*xiv	68	59	46	F	15	6	Mar. 29	6	19	1	Sept. 23	2
1	xv	69	2660	45	*E D	Apr. 3	6	Apr. 17	6	Jun. 7	1	Oct. 12	2
2	*xvi	3370	61	44	C	Mar. 23	3	6	3	Mai. 27	5	1	6
3	xvii	71	62	43	B	Apr. 11	2	25	2	Jun. 15	4	20	5
4	xviii	72	63	42	A	Mar. 31	6	14	6	4	1	9	2
5	*xix	3373	2664	1341	*G F	20	4	3	4	Mai. 24	6	Sept. 28	7

Kalendarium anni sacri. *Tabula* X.

Periodus i. *Cyclus* xi.

Neomeniæ Paschales, Martii 15, *Aprilis* 13. *Termini Paschales, Martii* 29, *Aprilis* 27.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xxv. 6	i	3374	2665	1340	E	Apr. 7	Fer. 2	Apr. 21	Fer. 2	Jun. 11	Fer. 4	Oct. 16	Fer. 5
xxvi	ii	75	66	39	D	Mar. 27	6	10	6	Mai. 31	1	5	2
1	*iii	76	67	38	C	16	3	Mar. 30	3	20	5	Sept. 24	6
2	iv	77	68	37	*B A	Apr. 4	3	Apr. 18	3	Jun. 8	5	Oct. 13	6
3	*v	78	69	36	G	Mar. 24	7	7	7	Mai. 28	2	2	3
4	vi	79	2670	35	F	Apr. 12	6	26	6	Jun. 16	1	21	2
5	vii	3380	71	34	E	1	3	15	3	5	5	10	6
6	*viii	81	72	33	*D C	Mar. 21	1	4	1	Mai. 25	3	Sept. 29	4
xxvii	ix	82	73	32	B	Apr. 9	7	23	7	Jun. 13	2	Oct. 18	3
1	x	83	74	31	A	Mar. 29	4	12	4	2	6	7	7
2	*xi	84	75	1330	G	18	1	1	1	Mai. 22	3	Sept. 26	4
3	xii	85	76	29	*F E	Apr. 6	1	20	1	Jun. 10	3	Oct. 15	4
4	xiii	86	77	28	D	Mar. 26	5	9	5	Mai. 30	7	4	1
5	*xiv	87	78	27	C	15	2	Mar. 29	2	19	4	Sept. 23	5
6	xv	88	79	26	B	Apr. 3	1	Apr. 17	1	Jun. 7	3	Oct. 12	4
xxviii	*xvi	89	2680	25	*A G	Mar. 23	6	6	6	Mai. 27	1	1	2
1	xvii	3390	81	24	F	Apr. 11	5	25	5	Jun. 15	7	20	1
2	xviii	91	82	23	E	Mar. 31	2	14	2	4	4	9	5
3	*xix	3392	2683	1322	D	20	6	3	6	Mai. 24	1	Sept. 28	2

Kalendarium anni sacri. *Tabula* XI.

Periodus i. *Cyclus* xii.

Neomeniæ Paschales, Martii 15, *Aprilis* 13. *Termini Paschales, Martii* 29, *Aprilis* 27.

Ann. Sabb.	Cyc. Lunæ.	J. P.	A. M.	A. C.	L. D.	Neomenia Nisan.		Pascha.		Pentecoste.		Scenopegia.	
xxviii. 4	i	3393	2684	1321	*C B	Apr. 7	Fer. 5	Apr. 21	Fer. 5	Jun. 11	Fer. 7	Oct. 16	Fer. 1
5	ii	94	85	1320	A	Mar. 27	2	10	2	Mai. 31	4	5	5
6	*iii	95	86	19	G	16	6	Mar. 30	6	20	1	Sept. 24	2
xxix	iv	96	87	18	F	Apr. 4	5	Apr. 18	5	Jun. 8	7	Oct. 13	1
1	*v	97	88	17	*E D	Mar. 24	3	7	3	Mai. 28	5	2	6
2	vi	98	89	16	C	Apr. 12	2	26	2	Jun. 16	4	21	5
3	vii	99	2690	15	B	1	6	15	6	5	1	10	2
4	*viii	3400	91	14	A	Mar. 21	3	4	3	Mai. 25	5	Sept. 29	6
5	ix	01	92	13	*G F	Apr. 9	3	23	3	Jun. 13	5	Oct. 18	6
6	x	02	93	12	E	Mar. 29	7	12	7	2	2	7	3
